32.



Lugduni Batavorum
Apud JORDANUM LUCHTMANS *1694.*

D. Penningen sc.

12

CLEMENTIS BERG, J.U.D.
Moralium & Politices Professoris Publici, in Academia Electorali Brandenburgica Duisburgensi,

INTRODUCTIO IN DOCTRINAM POLITICAM,

Secundum meliora Politicorum Recentiorum Principia ad usum Academicum adornata.

cum Indicibus necessariis.





LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JORDANUM LUCHTMANS,
M. DC. XCIV.

PERILLUSTRI,

GENEROSISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO,

D. EBERHARDO

L. BARONI

à DANCKELMAN,

DOMINO DE BRESQUES, &c.

AUGUSTO ATQUE POTENTISSIMO

ELECTORI BRANDENBURGICO

DN. FRIDERICO III.

S. R. I. ARCHICAMERARIO, &c. &c. &c.

à Sanctissimis & Intimis totius Status, Belli & Rerum Feudalium Consiliis,

Domino, Mæcenati ac Patrono Gratiosissimo,

H. Q. L. C. Q.

submisse

Sacrum esto.



PERILLUSTRIS
ET GENEROSISSIME DOMINE,

A Regula illa, quod ubique semper habenda sit rerum proportio, eoque Principibus,& in eminenti dignitate constitutis Viris, non nisi magna & digna offerri debeant, me resilire jussit fortior illa gratitudinis Lex. Proinde malui impolitior esse, quam ingratus videri. Spondet enim mihi Tua, Excellentissime Domine, omnibus Illustrium Virtutum Tuarum sinceris Cultoribus, & Eruditionis Amatoribus obvia benignitas & humanitas, Te potius meum ratione

tione provinciæ Moralis & Civilis ab AUGUSTO Noſtro, ad Cujus Aram Tua mihi benevolentia viam fecit, clementiſſime mihi concreditæ, officium, & cupidiſſimam Spartæ pro virili exornandæ, & ſine invidia aut jactantia Auditoribus meis inſerviendi ingenuam voluntatem & conatum, quam forſan opuſculum ipſum, cui magnitudinem temporis brevitas, ingenii operoſitatem illius curta ſupellex, & elegantiæ ſplendorem rerum intentio denegavit, benigne reſpecturum. Siſto itaque Tibi, HEROS TOGATE Eminentiſſime, more Literatorum, quibus alio argumento & ſigno gratum animum teſtificari vix licet, hoc ipſum in grati animi monumentum, & devotiſſimi cultus, quo

Tuas Virtutes prosequor, æternum testimonium. Impertire ergo Perillustris Domine huic nostro qualicunque labori, quod vehementer opto, ex benigno Tuo aspectu vitam & robur, ut, si non ob materiæ pondus & præstantiam, à præfixo saltem Tanti Mæcenatis Illustri nomine decus & famam sibi accipere & fœnerari queat. Voto hoc beatus, mihi meoque partui de Magni Patroni perenni gratia & tutela gratulabor, gloriabor. Quin excitabis etiam Humanitate hac, meum cum Deo & die majoribus & gravioribus in argumentis publico inserviendi honestum ardorem. Deus Te cum Illustri Tua Gente conservet, & Consiliis Tuis pro Potentissimæ DOMUS BRANDENBURGICÆ

&

& Patriæ Salute conceptis felicissimos largiatur successus; Quod ex animo vovet

PERILLUSTRIS ET EXCELLENTISSIMI NOMINIS TUI

Duisburgi ad Rheni Rhuræque confluentes, A MDCXCIV. menf. Maji d. 7.

devotissimus cultor

CLEMENS BERG. Dr.



PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Damus Tibi, Benevole & Candide Lector, Tuoque judicio submittimus Conatus nostros & specimina prudentiæ Civilis, non, quod velimus excutere ex manibus Studiosæ Juventutis Aliorum laudatos & eruditos Labores, sed quia pro hodierno temporum & vicissitudinum statu, ad tollendas etiam inter Nobilissimos meos Auditores circa Auctorem dissensiones, supplendumque hac in parte defectum, nobis videbatur commodius fore, si ipsimet brevem aliquam delineatio-

nem

nem prudentiæ politicæ temporibus accommodatam, pro Collegiis privatis elaboraremus. Suo enim quisque abundat ingenio. Quæ nobis maxime ad rem & ſcopum facere viſa ſunt, ea tradidimus, remittendo Auditores noſtros, ubi opus erat, ad fontes uberiores, quorum indicium manu non parca fecimus. Facimus autem hoc, nec ſine exemplo Virorum noſtri Ordinis, nec ſine Amicorum exhortatione, qui viſas haſce vigilias calculo ſuo non omnino indignas judicarunt publicâ luce. Obſcuram nimis brevitatem & tædioſam prolixitatem æque fugimus; probè gnari, intra ſemeſtre ſpatium hanc telam eſſe pro more Academico texendam. Nec adeò Suffeni ſumus, ut nobis valdè blandiamur, quaſi Iliadem cantaturi poſt Homerum, ſed nobis maxi-

me placuit hæc via propria, ne aliis aut refutandis, aut limitandis, aut augendis tempus terere necesse esset. Calumniari autem nonnulli forsan possent, quod Doctorum vestigia subinde legamus, quod tamen facimus ubique ingenuè & cum honorifica & veneranda illorum laude, per quos profecimus; publicè enim exstant, publicique sunt usus. Licet, licuit semperque licebit aliorum industria suam perficere, si cum candore & absque malignitate vel plagio id fiat, quæ vitia cane pejus & angue detestamur. Sententiam nostram ubique aut ex ipso Jure Naturali Gentiumque deduximus, aut Magnorum Virorum sententiis comprobavimus, ne jactanter soli sapere velle videremur. Scripsimus hæc non Eruditis & in hac palæstra exercitatis, sed pri-

vato noſtro noſtrorumque Auditorum uſui. Quæ ſi Tibi placuerint, his utere nobiscum; ſi non, humaniter feras; ſi meliora noſti, diſcere volentes in viam reduc: Homines enim ſumus; ſinguli aut nihil aut parum, plures verò multum poſſumus. Mihi certe bona mens fuit inſerviendi publico, & ornandæ meæ Spartæ ſine cujusquam injuria aut fraude. Vale Lector Candide, & conatibus hiſce qualibuscunque fave!

Nobilissimo & Cultissimo

DN. AUTHORI INTRODUCTIONIS ACCURATISSIMÆ IN DISCIPLINAM POLITICAM.

TU quoque, mi BERGI, generoso percitus œstro
Per merita affectas pergere ad astra viam!
Quæris ad illa aditum Civilis Templa Minervæ,
Et docta ostendis Sacra retecta manu.
Hæc Tibi mox pandet tersa *Introductio* portam,
Major ubi exspectat Teque tuetur Honos.
Sic jam Te, BERGI, mactabit adorea Vatum,
Nomen & extollet Fama decusque tuum:

Nam

Nam cum primitiæ ſint tales, Optime Civis,
Qualis, quanta Tibi ſubſequa meſſis erit?

Collegæ & Amico integerrimo, his gratulari voluit, debuit

HENRICUS HULSIUS,
Theologiæ Sacræ in Acad. El. Brand. Doctor & Prof. Ord.

ANtè Polite Tuam præclara Politica mentem
Perpoliit, BERGI; nunc novus autor eam
Tute polis ſcripto ſociâ virtute decoro:
Gratulor, & grates Gloria certa feret!

Nobiliſſimo & Conſultiſſimo Domino Autori, Amico & Collegæ ſuo Gratiſſimo, ex animo fecit

WILH. CRUSIUS, JCt.
& Anteceſſ. Prim.

In

Viri Nobilissimi & Consultissimi

CLEMENTIS BERGII, JC.

SOLINGA-MONTANI,

In Electorali *Duisburgensium* Academia *Moralium & Civilium* Prof. Publ.

Eruditum *Civilis Doctrinæ* Compendium.

I Secure liber, nec extimesce
Momos lividulos, Theonis arma,
Dirumve Invidiæ malæ venenum!
Auctor namque tuus manu perita
Sic te pumice rite perpolivit,
Ut doctus simul & laboriosus,
Rerum maxima cura publicarum,
Orbem pervolites & ora Famæ;
Quæ te Gloria jam manet perennis.
Namque hic exiguo latent libello
Rerum fœdera firma Publicarum,
Nec non, qua patet, ipse totus Orbis.

At

At Te, delicias meosque Amores,
Pectus præ nive candidum canente,
Musarumque decus, venuste BERGI,
Clarum nobilitant Themis, Minerva;
Nam præ Pyramidum situ perenne
Nomen Montibus altius sacrarunt.
Vives BERGIUS hinc in orbe docto,
Donec filia nobilis Tonantis
Majestas erit, aut in orbe toto
Reges purpurei bonique Cives.

Hoc sui Candoris & Amicitiæ monumentum conjunctissimo Collegæ erigit

HENR. CHR. HENNIN,
M. D. Ejusdemque & Litt. Hum. Prof. P.

CLA-

CLARISSIMO

DN. AUTHORI,

Amico & Collegæ honoratissimo, Opus hoc *ad nonas Majas* edenti.

MAjo virenti quod Tuæ ver floridum
Ætatis & Spartæ quadret,
Prudentiam quo Politicorum, cernuæ
Hornam senectæ filiam,
BERGI! polita pandis hac in pagina,
Mirantur omnes ac stupent.
Miro sed etsi constet istuc ordine,
Plus miror à præsagio,
Hos namque fructus Ver recens si protulit,
Cocto quid Autumno feres?

Ἀπεσχεδίασε

D. HUGUENINUS,
SS. Th. D. & P.P.

Con-

Consultissimo, Doctissimo & Politissimo Viro,

DN. CLEMENTI BERG,
JC. &. P. P.
Amico Veteri & Constanti,

Cum hac primitias Academicæ provinciæ, quæ *Moralia* & *Civilia* profitetur, erudito stylo cum orbe Literato communicasset.

PAndit ut Imperii liber hic Arcana verendi,
Sic famam arcanam nón sinet esse tuam.
Accipit ut sacrum decus his Res Publica chartis,
Gloria sic BERGI percipit inde decus.
Quique docet Reges, Cives, legesque parendi,
Humani generis perbene doctor erit.
Nomen & omen habes igitur tersissime BERGI,
Culte per antiquam semper amicitiam:

Quan-

Quantum inter valles tollunt capita ardua Montes,
Tantum fama Tui surgit & Ingenii.

Amicitiæ nunquam intermoritura gratia transmisit
L. M.

ERN. CAS. WASSERBACH,
JC. Illust. & Excell. Comitis Lippiaci Satrapa in Barrendorffensi præfectura.

CUr templum Triviæ jactabit Ionia mollis,
Quod missum in flammas, in cineresque suos?
Cur Pharii jactent miracula barbara Nili,
Qua fera Pyramidum Memphis honore tumet?
Templa & Pyramides vivax hæc pagina vincit,
Quæ struit Humani jura Sodalitii.

Amicitiæ Sacrum hoc faciebat Cl. Auctori, Amico magno,

JOH. von LINE.

INDEX

INDEX
CAPITUM.

FINIS.





CLEM. BERG. D.

INTRODUCTIONIS IN DOCTRINAM CIVILEM,

CAPUT I.

De Politica in Genere.

§. I.



OLITICA est prudentia in Societate Civili bene agendi. Nempe secundum ratiocinia necessitatum & commodorum humanorum; & prout facere potest ad salutem & tranquillitatem Reipublicæ.

Seu est prudentia eligendi quæ reipubl. bona, & avertendi quæ mala sunt.

§. 2. Excludimus hinc (1.) Impostores illos & Pseudo-politicos, qui malitiis, fraudibus, simulationibus & dissimulationibus nomen hoc affectant, Religionis curam ridentes, Deo ita inservientes ne Diabolum offendant. Politicum vero virum arcanis politicis & simulationibus ad salutem reip. promovendam salva conscientia uti posse, ex communi Politicorum traditione refert Goehausen *Peric. Academ.* 1. 4. *quæst.* 32. conf. consentientem Lipsium *Polit. lib.* 4. *c.* 14. Et omninò ad magni Politici facultatem pertinere, elogium illud, quo Corn. Tacitus Mutianum mactavit, quod fuerit, *omnium quæ diceret atque ageret, arte quadam ostentator*, suis argum. demonstrat Boeclerus *de Subtil. Polit. th.* 1. *&* 2. eandemque ostentationem, characterem memorabilem, Politicorum vocat *in annot. Polit. ad Tacit. l.* 2. *hist.* 80. Et hoc

hoc eſt, quod Πολιτικῶς ſe gerere, appellat Clapmar. *de Arcan. Rerump. lib.* 1. *c.* 7. *in marginal.* Et quod Germani proferunt, **Ein Staatsman muß offt den Mantel nach dem Winde hangen** / vid. Conring. *de Prudent. Polit. c.* 13. *it.* 2. *&* 4. Talis verò ſimulatio pro licita reputatur, qua partem propoſiti noſtri ita aperimus, ut alter aliud, quam quod in mente noſtra & propoſito eſt, ex eo colligat. Quia 1. non ſemper neceſſe eſt, ut alter propoſitum noſtrum ſciat; & ſi jam ſcire avidus, in perſcrutatione illius decipiatur, ſibi imputet & ſuæ in perſcrutandis rebus temeritati. 2. Nihil alieni & falſi in his rebus oſtenditur, ſed quod revera eſt. *Exc. Dn. Becman. Doctor meus, Medit. Polit. c.* 3. §. 13. Talis fuit aſtutia Gibeonitarum fingentium ſe venire ex regione longinqua. *Joſ.* 9. *verſ.* 4. *& ſeq.* Nec fuit culpabilis, nec mendacii nomine venit. Quis enim reprehendat, ſi quis ficto ſermone vitam ſuam ſervare

satagerit ab hoste ad internecionem grassante? Dein neque damnum propriè dictum ista astutia illatum fuit Israëlitis. *Dn. de Pufendorff. d. J. N. & G. l. 4. cap. 1. §. 13.* (2.) Qui affabiles & comes, sicque ex opinione vulgi tales, qui cum decore cum hominibus versari possunt, die von guter conduite seindt/ & potius *Politi* dicendi. (3.) Qui vestibus cultioribus incedunt & utuntur die galants, potiusque superbi dicendi & ad societatem inepti, quia aliis eminere student, sicque non cum prudentia in conjunctione cum aliis vivere sciunt.

§. 3. Distincta est ab *Ethica*, quæ docet honestè vivere i. e. secundum rectam rationem: ab *Oeconomia*, quæ curam rei domesticæ, & quotidianarum necessitatum tradit: A *Jure Publico*, quod certis legibus datum & traditum, uti Aurea Bulla, Recessibus Imperii, Capitulationibus Impp. & in specie §. 4. *I. de Justit. & Jur.* illud dicitur, quod ad statum

tum Reip. Romanæ ſpectat. Adminiculum verò haud exiguum Jus Publicum ex Politicis habet, imò fundamentum ejus Politica dici poteſt. *vid. Rachel. Introd. Jur. Publ. Germ. cap.* 16.

§. 4. *JurisConſulti* & *Politici* in rebus gerendis concurrunt, mutuamque ſibi præſtant operam, diverſo verò modo & fine. Hic utile ſectatur, & tale quidem, quod facere poteſt ad ſalutem & tranquillitatem reipubl. ille pro ſcopo habet Juſtitiam, & num actus controverſus ſit juſtus, nec ne, examinat atque decernit. Quia vero utile & juſtum eſſe oportet, quo bonum Publicum promovetur, nec Politicus ſepoſita juſti atque injuſti ratione, ſicque depoſito JCti officio utile tantum, niſi ad Machiavelli ingenium ſe accommodet, ſequi debet, nec JCtus Rempubl. benè ordinat, id quod juſtum ſaltem reip. conſulendo, nulla utilitatis ratione habita, hinc ſaluberrime hi duo in Republ. conjunguntur; & hinc inepte,

ignorantiam Juris Politico nomine tegi posse, asseritur. *plur. vid. Ziegler. ad Grot. de J. B. & P. Proleg. §. 57. conf. Tabor. de Regim. Imper. Eccles. Præfat. in med.*

§. 5. Basis, Fundamentum & primum principium Doctrinæ Politicæ, ex quo demonstrationes & omnia dogmata Politica fluunt, & in quod resolvuntur, est, vitam socialem rem requirere & exposcere; seu cum fine & scopo vitæ hominis Socialis rem congruere; vel clarius, statum socialem hominum, exigente usu & necessitate humana, hoc suadere. Hinc igitur *bella orta*, ad se defendendum contra injurias aliorum: *discretæ gentes*, quia in una Republ. comprehendi non potuerunt: *regna condita*, sine ordine enim imperantium & parentium in turbis victuri fuissent: *dominia distincta & agris termini positi*, ne oriretur confusio, *ædificia collata* ob cœli tempestatem modo serenam modo adversam: Commercia,

cia, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes institutæ, non omnis enim fert omnia tellus. Eleganter hanc in rem Grot. *d. J. B. & P. lib. 2. cap.* 2. §. 13. *n.* 5. ex Libanio sequentia adducit: *Deus non omnia omnibus terræ partibus concessit, sed per Regiones dona sua distribuit, quo homines alii aliorum indigentes ope, societatem colerent. Itaque mercaturam excitavit, ut quæ usquam nata sunt, iis communiter uti frui omnes possent.* Etiam *servitutes* introductæ *pr. I. de Libert.* singulis enim bene esse non potuit, si non operam suam aliis locarent.

§. 6. Hæcque ex principio hoc resultantia & producta jura, quibus commodum suum & bonum universale promoveri debere & posse mortales viderunt, uno nomine deinceps *jura gentium* dixere, quasi quo jure omnes gentes ad conservandam & constituendam Societatem usu & necessitate humana exigente uterentur. *l.* 2. *ff. de J. & Jur. coll.*

coll. §. 2. *I. d. J. N. G. & C. vid. Dn. Pufendorff. d. J. N. & Gent. l.* 2. *c.* 3. §. 15. *Grot. de J. B. & P. Proleg.* §. 8.

§. 7. Quoad initium & originem Vitæ Socialis tenendum, Deum T. O. M. hominibus, juxta ſanctiſſimam, perfectiſſimam & immutabilem voluntatem creatis, indidiſſe convivendi aliquam neceſſitudinem, qua totum genus humanum una aliqua eſſet Societas ſeu Civitas. Et concordantem habemus *l.* 2. *ff. de Juſtit. & Jur.* naturam inter homines cognationem conſtituiſſe, dicentem. Audiamus Romanæ eloquentiæ Parentem Cicer. *lib.* 1. *de offic. Eadem natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis & ad vitæ Societatem, ingeneratque imprimis præcipuum quendam amorem in eos, qui procreati ſunt.*

§. 8. Et hæc ipſa convivendi neceſſitas, ſuis cauſis impulſivis non caruit: *Extrinſecè* enim ad vitam ſocialem ducebantur inſuper homines ex indigentia ſeu inſufficientia humana; (homo enim

per

per se animal egenum, sive sine similium auxilio servari ineptum,) accedente *Intrinsecè* studio se conservandi & amore nostri. (manifestum quippe hominem esse animal se conservandi studiosissimum,) quæ verò conservatio sine consociatione & vita sociali obtineri non potuit. Nec indigentiæ & imperfectioni aliter nisi conjunctione cum similibus consultum fuit. *Simul atque natum est animal, ipsum sibi conciliatur & commendatur ad se conservandum, & ad suum statum, & ad ea, quæ conservantia sunt ejus status, diligenda: alienatur ab interitu iisque rebus, quæ interitum videantur afferre.* Cicer. *de Offic. lib.* 3.

§. 9. De Politices exacta scientia theoreticè comparanda & Scriptoribus Politicis *vid. Gabriel. Naudæi Bibliograph. Politic.* Pro summaria instructione Tibi commendatos habeas, quibus ipse ex Commendatione Doctoris mei in tumulum usque venerandi Excell. Becmanni sum usus, (an feliciter judica;)

Jacobi Regis Angliæ Donum Regium, quoad præcepta ad vitam; *Grotium de Jur. Bell. & Pac.* quoad demonstrationes; *Bodinum de Republica*, in præceptis & exemplis. *vid. plur. Dn. Becman. Meditat. Polit. c. 1. §. 5. & seq.* Usus, experientia & crebræ actiones complementum addunt, & Practicum absolvunt, secundum illud Manlii: *Artem experientia fecit, exemplo monstrante viam.* Nec semper Theoria cum Praxi in uno homine combinatur. Et aliquando quis est bonus Theoreticus, sed malus Practicus, & contra. Exemplum soli Theoretici in Cicerone ostentatur: Nemo enim melius de Republ. scribebat & loquebatur, nemo illam pejus & infelicius administrabat. Theoria cum Praxi in Cæsare Augusto concurrebat, ut proinde jure gloriari potuerit: *Se Romam accepisse lateritiam, & reliquisse marmoream. Conf. Conring. in animadv. Polit. ad Machiavell. Princip. Proleg. n. 3.*

§. 10. Ma-

§. 10. Machiavellum, qui in Politicis Pseudo-Politicorum gregis Dux dicitur, simpliciter rejiciendum esse, demtis nequitiis, non autumo. Nec tam niger est, uti vulgò depingitur, sed inter testes veritatis reponendus. In eo peccavit, quod Principem malum describere intenderit: Parum enim abest à docente, qui vitia aliorum describit; secundum versiculos,

Nomine flagitii teneras qui læserit aures,
Non carpsisse scelus, sed docuisse putes.

Lipsii judicium de Machiavello *vid. Præfat. Lib. Polit. præmiss.*

§. 11. Addiscenda Politica ab *omnibus*, omnes enim qui in vita sociali vivunt, ejus directione indigent. Præprimis (1.) à *Principe*, quippe qui aliis præesse vult, eum oportet rationem alios dirigendi scire, secundum illud:

Tu regere imperio Populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes. - - - - -

§. 12. Principis verò hac in parte

Philoſophia præcipuè in duobus conſiſtit, (1.) in cognoſcendo, (2.) in agendo ſeu cognitionis exercitio. Cognitio debet eſſe Univerſalis, quia officium Principis Univerſale, debet E. eſſe talis, ut nihil ipſo inſcio, & invito fiat, nihilque effectu juris gaudeat niſi hac concurrente. Unde etiam omnes confirmationes actorum à Republ. ſ. Principe. Cognitioni debet addere exercitium, ſcientia enim non actuoſa merè theoretica eſt & non ſufficit. Sapientiſſimè hoc animadvertit Jacob. Angl. Rex, dum in *Dono Reg. lib.* 1. *de offic. Reg. p. m.* 61. filium monet, ut ſcientiam non otioſam, ſed actuoſam imperandi prudentiam ſectetur, & illam ſtudio quæſitam notitiam, omnibus officii ſui partibus exprimeret: Aſtrologis plane diſſimilis, qui interdiu noctuque ſiderum motibus ſe fatigant, ideò tantum ne ignorent.

§. 13. (2.) A *Subditis*, ut officio ſuo rectè fungi diſcant. Politica enim ſicut

vitam

vitam ſocialem tradit, ita & ordinem imperantium & parentium. Nec perſonæ ignobilitas tollit naturam rei. Inepte E. & ſine ratione Ruſſi ſubditos à literarum ſcientia arcent, eruditio quippe non tollit, ſed dirigit obſequium. Nec vera eruditio pertinaces facit, ſed regit vitam humanam. Semidocti verò & ſemiprudentes turbant mundum, quia ſe ipſos variis vanitatibus opplent, nec ex rei veritate judicant. (3.) A *Juvenibus*, ut præparentur ita ad officia publica, dum bene agere diſcunt. Et vulgatum illud in Scholis uſitatum: *Juvenem non eſſe idoneum Auditorem Politicæ*, intelligendum de Auditore *Utente*, quia deſtituitur experientia, ſed non *diſcente*.

§. 14. Maximè igitur in *Academiis addiſcenda & tractanda*, quia Studia Academica ſunt præparamenta ad rerum uſum; quemadmodum conſilia præparamenta rerum agendarum. Et vita Academica continet proximum gradum

ad officia publica. Et quales in Academiis vivunt & doctrina instruuntur, tales plerumque in Publicis existunt. Unde præludium dicitur vitæ futuræ. vita recens capta animum induit, ut odor novam testam. Utile pariter & necessarium *Disputationibus Academicis* materias Politicas pro & contra ventilare ad præparandos animos ad sententiarum varietatem, & ad oppositiones in publicis negotiis excipiendas.

§. 15. *Hypotheses Politicæ* necessariæ, ad conspiciendum eò magis & evidentius in vita Civili ordinem & necessitatem vitæ socialis. Tales sunt Status Naturalis, Communio Rerum, Translatio jurium in Principem seu Rempublicam. Præferendæ demonstrativæ, faciliores & breves. Natura enim adeoque veritas simplex. Et suspectæ semper ambagiosæ & prolixæ distinctiones.

§. 16. Objectum Politicæ est hominum Societas, seu Societas Civilis, seu magna illa Universitas generis humani; quod

quod quamvis in varios Populos & Regna divisum, semper habet aliquam unitatem, non solum specificam, sed & quasi Politicam & moralem, *Ziegler. ad Grot. Proleg.* §. 24. toti enim generi humano prudentia Politica ordinem præstare & modum agendi præscribere debet, ad modum disciplinæ architectonicæ.

§. 17. Finis Doctrinæ Politicæ est salus universæ Reip. in eo consistens, ut omnes socialiter pie probeque vivant. Item ut omnia hominibus, quatenus fieri potest, quæ ad vitam commode transigendam necessaria sunt, adsint; & omnia communia jura & res Civitatis s. Reip. adversus vim externam defendantur.

§. 18. Quia verò Societas Civilis, Societates privatas omnes Conjugalem, Paternam, Herilem, Familiam, Collegia eminenter comprehendit, & ex harum coalitione Civitas s. Respubl. constituitur, prius agamus de Societate in genere, (2.) de Societatibus Privatis,

vatis, (3.) de Societate Publica seu Republica, & Juribus Reipubl. quibus conservatur & regitur, (4.) de Reipubl. Speciebus, (5.) de Mutationibus.

CAPUT II.

De Societate in genere.

§. 1.

S*Ocietas est unio plurium hominum in communem finem.* *Plurium*, unus enim societatem constituere nequit. Et in minoribus Societatibus ad minimum duo requiruntur, exemplum in societate conjugali. Unus tamen jam initam conservare & repræsentare potest. Quemadmodum in uno Cive, Senatore, opifice, tempore belli vel pestis totum Collegium conservari videmus. *l.* 7. §. *ult. in fin. quod cuj. univ. nom.* Aptitudo enim ad moralitatem nondum deficit, dum huic uni se plures, jure collegii aggregare possunt.

§. 2. Ad Societatem Majorem uti

Colle-

Collegium ad minimum requiruntur tres, secundum illud vulgatum: *Tres faciunt Collegium.* Quod ex Pythagoreorum disciplina videtur ortum, quorum hoc decretum erat: τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα, τοῖς τρισὶν ὥρισται. Ipsum universum & omnia cætera, tribus seu trinitate definita sunt. *Vid. Arist. lib.* 1. *de Cœl. cap.* 1.

§. 3. Quo ad Originem Societatis *vid.* §. 7. *& seq. Cap. prac.* Addimus: Societates initas esse, ut quod singuli obtinere non poterant, conjunctim obtinerent, hacque ratione necessitatibus & commodis suis consulerent, haberentque solatium in solitudine, secundum DEI effatum *Genes.* 2. *v.* 15. *Non esse bonum hominem esse solum*; ut & adjumentum in negotiis, & protectionem adversus injurias.

§. 4. Veniunt in Societatem res in universum omnes, quarum communione opus.

§. 5. Subjectum Societatis est *Solus Homo*,

Homo, ſolus enim quid uſus & neceſſitates ſuæ exigant, intelligit. Unde ab Ariſtotele dicitur φύσει ζῶον πολιτικὸν, aptum natum animal politicum ſeu ſociale. Quod diverſimode accipitur & explicatur à Dn. Puſendorff. *de J. N. & G. lib.* 7. *c.* 1. §. 3. *& ſeq.*

§. 6. In homine requiruntur duo *Applicabilitas* & *Æqualitas*. *Applicabilitas*, quia, qui conjungi cum aliis vult, eum oportet etiam aptum eſſe, ad præſtanda debita in communem finem tendentia. Unde ſtulti, furioſi, iracundi & male morati excluduntur. *Æqualitas*, quia firmiſſima inter æquales amicitia; & nullus cœtus ſine æqualitate conſiſtere poteſt. *Grot. lib.* 3. *c.* 3. §. 2. Unde & Potentioris amicitiæ non nimis fidendum, ob poteſtatem quam ſibi ſumet pro lubitu rumpendi fœdera. Ineptus ideò *Superbus*, quia eminere aliis ſtudet; (& *Superbia* vitium, quo quis ſibi ſine juſta cauſa plus tribuit aliis) cum tamen natura omnes æquales fecerit,

cerit, quam æqualitatem ſuperbus tollere conatur. Unde & Germanicum Stoltz / non ineleganter à ſtulto derivari poſſet; ſuperbia namque vera ſtultitia, in qua tamen cognoſcenda, ſuperbi talpa cœciores.

§. 7. Quia æqualitas quam maximè in vita Sociali inculcatur, ut neceſſaria: Hinc improbantur Conjugia Principum cum inferioribus, Nobilium cum ignobilibus, Senum cum Juvencula; Converſationes digni[illegible]is cum indigniori: cedunt enim digniori in dehoneſtamentum; quæ dehoneſtamenta à Tacito *hiſtor. lib.* 2. *c.* 87. vocantur *dehoneſtamenta amicitiæ.* Et ejusmodi ſunt *in publicis* quoque converſationes ſuperiorum cum inferioris plebis hominibus, lædunt enim ſtatum publicum. In *vita privata*, familiaritas Nobilium, Doctorum & Eccleſiaſticarum Perſonarum cum Ruſticis infimæ conditionis, Studioſorum cum plebe. Mox enim proverbium illud decantatum auditur:

ditur: *Noscitur ex socio, qui non dignoscitur ex se.*

§. 8. Societatem colere, dici non possunt *Latrones, Conspiratores, facinorosi*, quia non ex necessitate & propter commoda humana, sed criminis causa sociantur; in quibus nulla necessitas, sed maximum periculum. Item congregatio illa brutorum gregalium & apum societatis nomine indigna, quia eundem quidem finem privatum, nullum verò communem habent.

§. 9. *Conversatio*, quæ oritur ex cognatione naturali, seu communi natura, & communi origine, cognata in eo, quod quidem homines conjungantur, sed in eo differt, quod non fiat in communem finem.

§. 10. Sed an etiam in *statu innocentiæ* s. integritatis, ubi nulla indigentia & nullæ necessitates humanæ fuissent, societates exstituræ fuissent? R. Proprie sic dictas nullas, amicitias verò & conversationes omninò exstituras fuisse.

ſe. Homines enim non opus habuiſſent concurrere tanquam partes ad conſtituendum aliquod totum, ad majorem perfectionem obtinendam.

§. 11. Oppoſitum Societati eſt *Status hominis naturalis*, qui ut hypotheſis politica, ad demonſtrandam neceſſitatem vitæ Socialis, in Politicis admittitur & tractatur, quamvis nunquam exſtiterit.

§. 12. Contrarium Societati *vita Solitaria*, qua generi humano renunciatur, & omnis converſatio tollitur, divino quoque elogio contraria: *Non eſſe bonum hominem eſſe ſolum*. Quod ad matrimonium non tantùm, ſed & ad Societatem in univerſum cum hominibus pertinet. Et homo in auxilium alterius creatus, & ad excitandum alterum vita & converſatione ſua natus, ſecundum illud Salvatoris noſtri unici *Matth. 5. v. 16. Facite ut lux veſtra luceat coram hominibus*. Μισάνθρωποι E. hi omninò exſecrandi; nihilque niſi inſenſibilitatem

tatem naturæ pro causa allegare possunt.

§. 13. Consequentia vitæ socialis sunt *pacta*, per quæ jus nostrum cedimus; & *Imperium* s. *Dominium* i. e. translati juris persecutio.

CAPUT III.

De Societate Conjugali.

§. 1.

VIsa natura Societatis in genere, eandem jam in suis speciebus porro considerabimus. Et quidem *sec.* §. *ult. cap.* 1. inter privatas, quæ iterum vel *Majores*, uti Familiæ, Collegia; vel *Minores*, ut Societas Conjugalis, Paterna & herilis, ex recepto ordine, de conjugio initium facturi.

§. 2. Est *Societas Conjugalis*, *maris & fœminæ legitime facta conjunctio.* Et dicitur *Conjugium* à *conjungendo*, quasi animorum, corporum, fortunæ & ejusdem jugi consociatio.

§. 3. Au-

§. 3. Author Conjugalis vitæ est Deus T. O. M. *Genes. c.* 1. *vrs.* 27. 28. *&* *seq.* hacque ratione sapientissimus rerum conditor, genus humanum mortalitati obnoxium, à totali interitu liberare voluit. Et rectissime à Cicerone Conjugalis societas principium & quasi seminarium reip. dicitur.

§. 4. Necessitas hujus Societatis ex eo claret, quia ordinem præstat & conservat in genere humano. Hac enim non exstante non minor confusio esset, quam inter bruta tempore conceptionis; & maxima confusio futura fuisset in successionibus.

§. 5. Essentiale Conjugii est (1.) *Consensus contrahentium mutuus* masculi & fœminæ in vitæ conjugalis associationem; & hoc ipso distinguitur à brutorum conjunctionibus. Constat duabus partibus, nempe promissione affectus & debiti conjugalis, ut & promissione cohabitationis ac individuæ assistentiæ. Nulla etiam societas sine consensu consistere

ſiſtere poteſt. Et in *l.* 30. *ff. de R. J.* non concubitum, ſed conſenſum nuptias facere, dicitur. Item (2.) *Parentum* in quorum poteſtate ſunt contrahentes, non juxta Jus Juſtinianeum ſolum *pr. I. de nupt.* Sed & naturalia, divina *Exod.* 22. *vſ.* 17. *Col.* 3. & gentium jura. Parentes enim commodis liberorum optimè conſulere ſolent & præſumuntur; & inſuper reverentia parentibus debita hunc expoſcit. Nec *Matris* excludendus, præprimis ſi Pater mortuus. Reverentia enim ſeu pietas parentibus, etſi inæqualis ſit eorum poteſtas, æqua debebitur, *l.* 4. *ff. de Curat. furioſ.* Diſſentientibus verò inter ſe Patre & Matre, Patris voluntas ſequenda & præferenda, quia caput familiæ, adeoque una caput matris. Unde Sponſam poſſidebat tanquam prædo, qui parentum conſenſum non indicabat Legibus Anglorum & Werinorum. *Vid. Grot. de J. B. & P. lib.* 2. *c.* 5. §. 10. Eleganter de hoc conſenſu Catullus carm. 63. verſ. 63.

Virgini-

Virginitas non tota tua est, ex parte parentum;
Tertia pars matri data: pars data tertia patri:
Tertia sola tua est.

Grave hac in re monitum Boecleri. *ad Grot. lib.* 2. *c.* 5. *§.* 10. inquientis: *Matrimonia, invitis & præteritis sine causa parentibus, contracta, exagitari non unis casibus sæpe visa, quasi in ultionem juris & officii naturalis non satis reverenter habiti.*

§. 6. In nonnullis locis consensus Magistratus à Cive requirendus, ne scil. ex amoris amentia in ætate, nimia graduum vicinitate, aut pietate contra bonos mores peccetur: Interest quoque Reip. scire, qualem nactura civem; talis enim utplurimum est proles vel civis, quales habuit parentes; & locum hic invenit dicterium German. Der Apffel fällt nicht weit vom Baum. Nec etiam expedit reipubl. quoscunque cives inducere.

§. 7. In Gallia Regii Principes cum consensu summi consilii uxores accipiunt, & sine hujus consilii consensu nati à successione rejiciuntur. In Anglia Rege inconsulto pupilli & idiotæ sine gravi censura matrimonia non contrahunt.

§. 8. In Regnis Poloniæ, Sueciæ & Angliæ & olim Scotiæ, Regibus inconsultis non licebat Proceribus matrimonium inire. Et quoad Reginas adduci merentur verba Arnisæi *de Republ. lib.* 2. *cap.* 2. *sect.* 11. & 12. *n.* 148. Licet vota matrimonii debeant esse libera, tamen si qua accidat, ut filia hæres regni relinquatur, non est in ejus temeritate ponenda salus totius reip. ut quem ferat vel cœcus amor, vel libidinosus impetus, eum populo invito Principem imponendi potestatem habeat. Et hinc Scotiæ proceres de futuro matrimonio Mariæ filiæ Roberti Brussii Regis ita censuerunt: *Multò æquius esse, ut puellæ maritus ab omnibus, quam à puella*

Rex

Rex omnibus eligeretur. Maria Angliæ Regina convocatis regni ordinibus ad Parlamentum, matrimonium cum Philippo II. ineundum, auctoritatem Parlamenti obtinuit. Sic olim Poloniæ Proceres Hedwigam Ludovici Regis filiam, quæ Wilhelmo Austriaco nubere volebat, Jagelloni Lithuano Duci, ex sola sua voluntate dabant.

§. 9. II. In Personis Contrahentibus requiritur *Justa ætas*, ut sint puberes & jura sexus communicare possint. Et certum tempus à Justiniano nostro nubere volentibus præscriptum, videlicet masculis 14. & fœminis s. puellis 12. annus. Et forte ex eo, quod in complexu maritali majus requiratur robur in mare quam fœmina; cum facilius sit pati, quam agere. Et jure naturæ pubertas requiritur, nullo autem anno circumscribitur & determinatur.

§. 10. III. Contrahentes in ipsa conjunctione honestatis rationem habere debent, ne *Propinquitas Consanguinita-*

tis vel affinitatis obstet. In contrahendis enim matrimoniis naturale jus & pudor inspiciendus. *l.* 14. *ff. de rit. nupt.* A conjunctione *Parentum & liberorum* ipsa natura abhorret, & naturalis repugnantia adest propter identificationem, quæ inter conjuges fit, & quod causa cum effectu identificari non possit. Imo confusio totius generis humani inde oriretur. tolleretur, vel saltem confunderetur, omnis imperii humani ratio. Inter *fratres & sorores*, itidem insignis verecundia deprehenditur. (Per se verò conjugia hæc contra jus naturæ esse, asserere non audemus; quia in principio creati mundi, inter fratres & sorores nuptiæ contractæ, & contrahi debuerunt, jam verò verosimile non est, Deum per actum legi naturæ contrarium genus humanum propagari voluisse & jussisse; præsertim cum nulla necessitate cogebatur unum hominum par creare.) Et genus humanum etiam non feliciter propagaretur per conjun-

ctionem

ctionem partium unius carnis; ut se habent liberi & parentes, fratres & sorores. Amicitiæ enim latius per diffusas affinitates spargi debent. Generatio etiam sæpè citius deficiet in una familia, instar seminis, quod cum ex eodem agro sæpe nascitur, fœcunditatem suam amittit.

§. 11. De aliis gradibus Consanguinitatis præter Theologos & JCtos consule *Hugon. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 5. §. 12. & seqq. Dn. de Pufendorff. de J. N. & G. lib. 4. c. 1. §. 30. seq. Dn. Valandi Profess. Brandenb. in illustri Viadrina, Dissert. Legis Connubii, ad Levit. c. 18. Dn. Struv. Exerc. 29. th. 31. & seq. Præprimis Z. Pryschenck. Diss. de modo ac usu computat. grad. tot. & novissimè à Dn. Petr. Müllero Ant. Jenens. Tr. de Annul. Pronubo & oscul. Sanct. addita.*

§. 12. IV. *Societas hæc est unius cum una*, & ideò in definitione dictum, esse conjunctionem maris & fœminæ. Excluditur E. *Polygamia*: quæ an Jure na-

turæ licita sit nec ne; inter eruditos controvertitur. Illam speciem Polygamiæ, qua una uxor plures viros sibi associat, seu Bigamiam illam mulicbrem Jure naturæ ac gentium illicitam esse, rejectis quorundam populorum contrariis exemplis, cum Dn. Pufendorff. *de J. N. & G. lib. 6. c.* 1. & Dn. Textor. *Synops. Jur. Gent. c.* 3. *n.* 28. *& seq.* asserimus. Pugnat enim (1.) cum procreatione sobolis, (2.) mutuo adjutorio, (3.) Imperio maritali. (4.) Solum libidinis causa admitteretur, & talis uxor inde vix differret à meretrice ob eandem fœditatem. Et (5.) Deus ipse nunquam ejusmodi bigamiam admisit. Adde Rationes pro & contra examinantem *Excell. Dn. Thomasium, jam Antec. Hall. Diss. de Crimine Bigamiæ, tot.* At verò Polygamiam virilem, seu plurium uxorum conjunctionem, similiter Juri naturæ & gentium per se repugnare non æque expeditum. In utramque partem rationes expendit, *Dn. de Pufendorf. dict.*

loc.

loc. judicium penes lectorem relinquens; tandem tamen sequentia addens: Optimum, maxime decorum, atque perfectissimum esse, matrimonium unius cum una. Grot. *l.* 2. *c.* 5. §. 8. 9. in negativam inclinare videtur, nim. hanc Polygamiæ speciem Juri naturæ non contrariari, à quo tamen ibidem divortium facit Ziegler. *in not. ad* §. 8. Ex ratione, quod reciproca sit obligatio ut uxoris ad unum virum, ita viri ad unam uxorem.

§. 13. Quicquid sit, in hoc conveniunt in diversis opinionibus hærentes Doctores, monogamiam convenire primævæ institutioni divinæ, & proinde perfectissimum & optimum esse matrimonium, & hac ratione nec Grotium habemus adversarium. Non verò inde concludere licet, Polygamiam istam in Vet. Testamento Patriarchis & Regibus permissam aliisque gentibus usitatam, ut rem per se illicitam Juri naturæ & gentium prorsus repugnare. Et

qui in hac quæſtione inter prima principia juris naturæ, & concluſiones ex illo jure deductas diſtinguunt, pluralitatemque uxorum non eſſe contra prima principia juris naturæ, vel ſcopum matrimonii primarium à natura intentum, revera autem contra concluſiones juris naturæ, & finem matrimonii ſecundarium, pugnare aſſerunt, inter quos Covarruv. *de Matrim. p. 2. c. 7. §. 3. n. 1. 2. ſeq. Sanchez. de Matrim. Diſp.* 80. *lit.* 7. *n.* 26. *& ſeq.* Rationibus ſuis etiam plauſibilibus non deſtituuntur; Inter quas (1.) finem conjugii primarium ſobolis procreationem, per plures uxores non impediri, ut in conjunctionibus cum pluribus Viris, proindeque non pugnare contra ſcopum conjugii primarium, (2.) Nec impediri finem conjugii ſecundarium, ſi plures unus vir habeat uxores, hocque confirmant exemplis Turcarum, qui pacificè cum uxoribus vivere dicuntur. Reliquas ad Lydium lapidum examinatas

tas adducit Textor. *all. Tract. c.* 3. *n.* 34. *& seq.*

§. 14. Nos in Controversia hac judicium suspendimus; existimantes, Polygamiam utramque in novo fœdere non solum per Christum Salvatorem nostrum prohibitam esse; sed & pugnare cum institutione primæva conjugii, quæ mortalibus tanquam lex universalis est observanda, proindeque monogamiam tanquam perfectiorem ac divinæ ordinationi & statui primævo convenientiorem præferendam esse, cum *Dn. Pufendorff. all. loc. Textor. all. l. n.* 38. *& Dn. Thomas. all. Diss.* §. 37. concludimus: (1.) quia Deus non nisi unum masculum & unam fœminam creavit, sicque inposterum etiam matrimonium non nisi inter unum & unam esse voluit, (2.) quia expressè dicitur: *& erunt duo in carnem unam.* Accedente (3.) quod inter pauciores firmior sit amicitia.

§. 15. Insuper quoque feliciora solent

esse conjugia, quæ cum circumspectione, habita ratione personæ, cum qua individuam vitæ Consuetudinem inire volumus, contracta; an nimirum sit instructa pietate, & nobis perplacentibus & convenientibus animi, corporis & fortunæ dotibus; de quibus agit *Schonborner. lib.* 1. *polit. c.* 6. Item fugienda *diversitas religionis*, nunquam enim satis uniti dici possunt, nisi etiam de modo colendi Deum inter ipsos conveniat. Et dissidium in sacris, dissidium in moribus plerumque creat, de quo *Jacob. Angl. Rex. Don. Reg. lib.* 2. *f. m.* 57. Et præprimis altercantur, si liberis gaudent, quem in religione sua sequi debeant. Porro *Nationis*, nam (1.) exterorum mores, mentes & ingenia ita perspici non possunt, quod tamen in individua hac conjunctione optandum & utriusque interest. (2.) Tum Lingua moribusque peregrinis assidue adversari, molestissimum est. (3.) Liberis ex peregrinis conjugio procreatis

insolens

insolens & peregrinum quoddam innascitur. (4.) Exterorum consortia, nævi, mores & nova instituta in remp. implantantur. Verum in his proprio quisque vivit genio.

§. 16. Quam maxime *æqualitatis* ratio habenda, quia firmissima inter pares amicitia. Ut recte Ovidius,

Si qua voles apte nubere, nube pari.

Hinc improbantur *Conjugia Principum cum fœminis inæqualibus*; & hanc in rem addo Regium monitum Sapient. Jacobi Angl. Reg. *all. l.* dicentis: *Maximam esse in prima uxore cautionem, quæ, si infra sortem tuam fuerit, vix esse, ut unquam eam labem redimas.* Accedit, quod etiam Fœminæ tales (1.) ad contemptum patent. (2.) Liberi Jure succedendi carent; adeoque effecta juris in ejusmodi matrimoniis nulla. Item *Conjugia Senum cum Juvencula*; eleg. Poëta canit. *Militat in teneris annis amor hospes amœnus: ast in canitie ridiculosa venus.* Confer. Salomon. *Proverb. c.*

 5. ℣.

5. ℣: 18. Frewe dich des Weibes deiner Jugend. ut ſcite vertit Luther. Et ſanè impletis & appropinquantibus 40. annis, paulatim animi vigor & corporis vires deficiunt. Ovidius *turpem* vocat ſenilem amorem. Late & eleg. hoc deducit Reincking. Bibliſcher Policey *lib. 3. axiom.* 17.

§. 17. Conſummatur Conjugium per Perſonas Eccleſiaſticas *benedictione Sacerdotali.* Et eſt quaſi Conjugii publicatio, ex voluntate Chriſtianorum, ordinis gratia addenda. Et meritò accedentibus precibus peragitur, quia conjugium fundamentum totius generis humani ſ. vitæ ſocialis, adeoque imploratio divini numinis maximè neceſſaria. Veteri Juri Cæſareo ignota, & in Oriente primum tempore Leonis Philoſophi, & Occidente tempore Caroli M. cœpit.

§. 18. Ritus variarum Gentium nuptiales, nihil aliud ſunt, quam totidem modi publicandi matrimonium; & li-

& licet in infinitum varient, communem tamen gentium consensum, de magno momento conjugiorum indicant, alias enim tam operosa institutione non uterentur. *De nuptiis veter. German. vid. Hachenberg. de German. media Diss. hist. 5. tot.*

§. 19. Finis conjugii alius *generalis*, alius *specialis*. *Generalis* mutuum adjutorium, (quem primarium esse novissimè defendit argumentis non contemnendis *Excell. Dn. Pagenstecher, Antecess. Duisburg. inclytus, Orat. Inaug. de Scopo sive fine matrimon. adj. Aphor. Justin. in noviss. edit. & in aphor. lib.* 1. *aphor.* 36.) ad se suaque jura conservanda. *Specialis* & primarius, procreatio Sobolis ad se conservandum in posteris. *Idcirco enim liberos concipimus atque edimus, ut ex prole eorum diuturnitatis nobis memoriam in avum relinquamus*, eleganter dicitur in *L.* 220. §. 3. *ff. de V. S.* Et ab eo etiam potius primarius rei finis æstimandus, quod

in ea intendi primariò debet, & in quem finem ab auctore instituta.

§. 20. Finem hunc matrimonii specialem & primarium qui obtinere nequeunt, sunt societatis conjugalis incapaces; & (ætate senili excepta) meritò removentur; quales sunt Eunuchi, spadones, veneficio ligati, paralysi ac insanabili frigiditate laborantes, aut qui alio contagioso morbo infecti, & ad procreationem sobolis inepti sunt. Item tanquam inhabiles repelluntur *Impuberes*, *conf.* §. 9. *huj. cap.* quia non intelligunt quod agunt. *Furiosi*, quia furor obest intellectui, & hinc sponsalia contracta dissolvit, non verò consummatum matrimonium. *Extremè ebrii*, qui insano, furioso, & infanti, imò planè mortuo comparantur. *Dn. Struv. Ex.* 29. *Th.* 25.

§. 21. Lege prohibebatur Jure Romano conjugium inter servum & ancillam, & horum consortium non conjugium, sed *contubernium* dicebatur.

Et

Et effectis veri conjugii, quod naturaliter quidem erat, carebat. Aliud tamen hodierni Christianorum mores servant. *Grot. l. 2. c. 5. §. 15. Concubinatus* itidem quidem erat conjunctio, sed non legitima; conjugio alias proxima, ideoque dicitur conjugium sed inæquale *L. 3. C. de nat. lib.* quia concubina ab uxore non nisi dignitate differebat. *L. 49. §. 4. ff. de legat. 3.* conf. *Grot. all. loc. & Ziegler. ibid. cum Henning. in nott.*

§. 22. Ex Societate hac conjugali fluit *imperium Maritale seu Domesticum*, se extendens ad res conjugii & familiæ, marito competens ob præstantiam sexus virilis. Unde & dicitur caput familiæ & uxoris *Genes. c. 3. ỽ. 16.* in statu innocentiæ quoque exstiturum fuisset; sed tantum quoad directionem non coactionem.

§. 23. Non tamen sibi *jus vitæ & necis* in uxorem afferat, quale Prisci Romani. Solius enim reip. hoc proprium. Maritalis etiam potestas in pietate, non atro-

atrocitate, consistere debet. Nec etiam à verbis ad verbera deveniendum, propter dignitatem conjugii; nisi uxor adeò sit obstinatæ & perfrictæ frontis, ut verbis nihil efficere valeamus, tum enim secundum Catones quosdam extrema tentanda. In solitudine seu deserto si nulla facultas adeundi judicem, uxorem punire maritus potest, quia tum imperium publicum cum maritali coalescit.

§. 24. Consequens E. hujus, respectu mulieris, est obsequii gloria; suam namque maritali imperio subjiciant voluntatem. Quod etiam indicat S. Scriptura, *Ephes.* 5. ℣. 22. 1 *Cor.* 11. ℣. 3.

§. 25. Finis est paternæ familiæ mulier, & principium familiæ, ad quam per nuptias transit. *Domicilium & forum* mariti sequitur. Etiam in *exilium* abeuntem, ex æquo & bono sequi debet; quia videtur iniquum, amicum in calamitate deserere. Et reciprocè se obligarunt, quod, tam in adversis, quam prosperis, individuo nexu cohærere velint.

velint. *Dignitate maritali fulget*, aut propter ejusdem ignobilitatem & suam amittit. Contrarium observatur in *Reginis hereditariis*, harum enim mariti transeunt veluti in familiam uxorum. Et in Germania nostra moris, natam fœminam Principem, nuptam Comiti, & vivo marito, & post obitum ejusdem, ab Imperatore & Statibus Imperii, verbis & literis salutari Principem. *vid.* **den Spaten in der Teutsch:** Secretar: **Kunst.** *vol.* 1. *part.* 2. *c.* 22. §. 5. *p. m.* 495.

§. 26. Cessat quoque imperium maritale in Reginis hereditariis, & absorbetur ab imperio publico, tegiturque tanquam lumen minus à majori. Et dum hæ Reginæ nubunt, censentur hoc facere tantùm suscitandæ prolis causa, non verò animum habere in potestatem aut familiam mariti transeundi. Hinc etiam mariti ejusmodi parcius Reges, sed communiter Reginarum mariti vocantur. Exempla in Conjugiis

jugiis Philippi II. Regis Hiſpan. & Mariæ Angliæ Reginæ; Mariæ Scotorum Reginæ & Henrici Stuarti Comitis Darlii; Ferdinandi & Iſabellæ Regum Arragoniæ & Caſtiliæ. Nullum etiam dubium, maximam eſſe auctoritatem maritorum eorum, ob arctiſſimum conſortium cum Regina. Et hinc in edictis publicis amborum nomina inveniuntur, ſi pares ſint, uti in actis Angliæ, in edictis publicis, Philippi & Mariæ, ut & Ferdinandi & Iſabellæ nomina reperiuntur. At ſi impares ſunt, nomen mariti præteritur. Unde Henrici & Mariæ nomina combinata in actis & Edictis Scotiæ nusquam inveniuntur. Maritus E. Reginæ hereditariæ non obſtante charactere ſuo ejusdem eſt ſubditus, ſi ſimul Rex non ſit; ſi verò pares ſunt, nec Rex Reginæ, nec Regina Regi ſubdita.

§. 27. Oppoſitus conjugio *Cælibatus*, & damnoſus, ſi totam ſpectes rempubl. at ſi membra nonnulla, Milites, Cleri-

Clericos, Servos; expedire eum volunt Reip. Milites enim & Clericos ali ex patrimonio Reip. quod per numerum liberorum magis gravaretur. Servi ex patrimoniis privatorum aluntur, & si liberos habeant, quamvis fideles sint, nihilominus tamen aliquid, vel orando etiam, acquirunt; & ita patrimonia privatorum minuuntur. *Dn. Becman. Polit. paral. c.* 7. §. 9. Grotius *l.* 2. *c.* 2. *§.* 21. *n.* 1. ita: *Sine fœmina ætatem agere etsi humanæ naturæ non omninò repugnat, tamen naturæ plerorumque hominum. Quare facultas comparandi uxores adimi viris non debet.* Et hinc nemo ad cælibatum cogendus, quia non nisi excellentibus animis convenit. Conf. 1 *Corinth.* 7. notandum & hoc, illos, qui cælibatum profitentur, aut qui paulatim ad senectutem cælibes perveniunt, in Germania vocari Hage-Stoltzen: quasi *in soli-sibi-placentia superbi, in sua superbia sese delectantes.* Propriè E. *Hagestolzii* dici nequeunt, qui

qui propter mentem non sanam, incurabilem morbum, clericatum, aut nimiam inopiam, uxorem invenire nequeunt nec ducere possunt. Sed qui per superbam separationem, uti vox indicat, & sibiplacentiam à conjugio quasi abhorrent. Arcebantur à veteribus ab honoribus Reip. ipsa appellatio ignominiosa habebatur. Ex communi recepta consuetudine annus 50. constituit Hagestolziatum; uti in Ducatibus Brunsuicensi & Wolffenbutelano; amittunt jus & potestatem testandi, & bona Hagenstolzii inter illa recensentur, quæ indignis auferuntur. In nonnullis locis tantum bona acquisita, non vero hæreditaria magistratus sibi vindicat. *vid.* Lübeckische Rechte / *lib.* 1. *tit.* 10. *art.* 6. *&* *Mevium ad illud, ut &* *in Decis. p.* 6. *decis.* 235. *Latè & ex professo, de Jure Misogamorum,* vom Hage-Stoltzen Recht / *Schottel. de singul. &* *antiq. German. jur. cap.* 1. *tot.*

§. 28. Dissolvitur conjugium *morte*,

Rom.

Rom. 7. *v.* 2. *l.* 1. *ff. de divort.* & *divortio*; est enim quidem individua vitæ consuetudo & necessitas, sed intentione, animo & voto. *Matrimoniorum terminum, qui omnia similiter solvit, exspectat mors. Nov.* 22. *c.* 20.

§. 29. Divortii causæ *Adulterium* & *malitiosa desertio.* Hæc enim evertunt naturam & substantiam matrimonii (1.) procreationem sobolis, (2.) mutuum adjutorium. Et ad has causas in verbo Dei expressas, nulli licuisse alias adjicere, fortiter defendit Beza; *de repud. & divort. p. m.* 230. *& seqq. Conf. Dn. Lincken. Antecess. Altdorffin. diss. de usu divort. ex divin. human. jur. tot. Sterilitatem all.* Beza *p.* 258. pro causa non agnoscit, eo quod sit vitium occultum, & cui sæpe Deus remedium tunc attulerit, quum prorsus desperatum videbatur. Initio tamen hujus sæculi 1600. illustre divortium ob sterilitatem factum inter Henric. IV. Reg. Gall. & Margaretam antecessoris ejus

Henrici

Henrici fororem. Et à Pontifice M. Clemente IIX. divortium publicatum. Legimus ipfam Reginam libello fupplice à Pontifice M. matrimonii diffolutionem ultro petiiffe, ob defectum lineæ mafculinæ, & periculum litium de futura fucceffione. *vid. Gramond. ad an.* 1615. *lib.* 1. *p. m.* 79. An præter dictas duas caufas, aliæ non fint admittendæ, dubium ferè reddit argumentis fubtiliffimis Boeckelmannus, *difp. Inaug. Heidelb. hab. meditat. penult.* De *Impotentia Conjugali*, & quid ob eam juftum *vid. Exc. Dn. Simon. Tr. de Impot. Conjug.*

§. 30. Quid dicendum de *Complexibus Illegitimis*, an prætextu amoris defendi poffint? Refp. Negamus, & illegalitatis ratio ex fequentibus rationibus fpecialibus apparebit; Namque (1.) *Stuprum* eft contra dignitatem hominis. (2.) In *Adulterio* non tantum fcortando peccatur, fed etiam fides publicè data læditur, frangitur, omnisque ordo

ordo in vita sociali turbatur. (3.) In *Incestu* item peccatur scortando, & quidem cum violatione jurium sanguinis. (4.) *Concubitus cum masculis* evertit genus humanum, dum nulla proles ex eo exspectari potest. (5.) In *Sodomia* seu commixtione cum bestiis, homo prorsus naturam suam abjicit, & genus humanum evertit. Imò genus humanum obbrutesceret. Et hinc etiam posteriores hæ species omnium gravissimè meritò puniuntur.

CAPUT IV.

De Societate Paterna.

§. 1.

A Nuptiis ad parentes & liberos ex nuptiis natos descendo, de his pro instituti mei ratione verba facturus. Inter Parentes verò & liberos versatur *Societas Paterna*. *Parentes* sunt personæ aliud suæ naturæ simile generantes.

§. 2. *Officia* autem *Parentum*, quæ ex

ex amore, quo in liberos, tanquam ſuorum corporum partes, feruntur, deſcendunt, ſunt; Liberos alere, nutrire & conſervare, educare. Qui enim voluit antecedens productionem ſui ſimilis, fertur & neceſſariò in conſequens, ſcil. illius conſervationem. Naturalis ſtimulus parentes ad hoc hortatur. *l. un. §. 5. de R. U. act.* Itaque Matres tenentur proſpicere parvulis, & niſi neceſſitas aliud ſuadeat, uberibus ſuis lactare; quia lac & ſpiritus maternus longe magis, quam alius & ingenii & corporis incrementa augere dicitur. Et hinc ſua laude non defraudanda, Maria Ferdin. I. Imper. Filia, quæ filiolum Carolum Fridericum, Cliviæ hereditarium Ducem, propriis uberibus nutrivit.

§. 3. Etiam pro ſalute liberorum Parentes ſint ſoliciti magis, quam propria, *l. 8. §. fin. ff. quod met. cauſ.* per liberorum corpora terrentur, læduntur, *§. 2. I. de injur. l. 1. §. 5. ff. eod.* patiuntur,

tiuntur, §. *ult. l. de nox. act.* Unde Paternum officium in omnibus tueri filios, nec indefensos relinquere, *arg. l.* 30. *ff. de admin. tut.* excusantur, si percussorem filii occiderint. *l.* 3. *ff. de* ℨ. *&* ℨ. Juliani effatum est: ad Patris officium pertinet, filium suum in omnibus tueri. *l.* 17. §. 18. *ff. de injur.*

§. 4. Item tenentur parentes instruere liberorum animos i. e. tenentur illos docere vel per se, vel per alios summa religionis capita, utpote sine quibus non humanam, sed bestiarum viverent vitam. Idque etiam in Ecclesiis nostris spondere solent Patres lustrici, seu Susceptores una cum parentibus, quod, in eum eventum, si parentes in eo sint negligentes, hoc sibi curæ esse velint.

§. 5. Insuper obstricti parentes, ut certo alicui vitæ generi, *studiis*, *militiæ* vel *opificio*, unde non inhoneste, & pro dignitate sua victum & amictum parare possint, filios addicere. Non vero

 ad

ad certum vitæ genus adſtringere poſſunt; quia eſt pars libertatis naturalis, non tantum ſentire, quid intellectui conveniens ſit & eſſe videatur, ſed etiam vitæ genus, in quod maximè propendemus, eligere. Et contrarium ſi accidat, triſtia effecta nonnunquam ſequi ſolent. Filias quoque in his, quæ ſexum fœmineum decent, inſtruant, vel inſtrui, ceu par eſt, curent. Quia liberi non ſolum parentibus, ſed & reip. naſcuntur: hinc laudabiliter, à parentibus capaces ſtudiis literarum addicuntur; ut & literati cives reip. ſiſtantur. Indicat hoc Cic. dum ait: *Non nobis ſolum nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria, partem parentes vendicant, partem amici. de Offic. lib.* 1. Si parentes Eruditi & literarum Heroes; cavendum, ne filii ſpe nominis, quod in heroum & magnorum virorum filiis nonnunquam accidere videmus, corrumpantur.

§. 6. *Bona quoque Parentum liberis deben-*

debentur; & ad colligendas opes illi sunt obstricti, ut vivis & mortuis parentibus habeant, unde vivant. Succedunt itaque vel ex testamento, vel ab intestato. Hæc Successio est vel *æqualis*, quando liberi de Jure privato, Romano, in æquas partes succedunt, hoc enim jure inæqualitas odiosa. Vel *Inæqualis*, quando unus liberorum plus reliquis accipit, quæ inæqualitas præcipuè locum habet in Familiis Illustrissimorum & Nobilium, in quibus *jus primogenituræ*, quod est sortis naturalis genus, obtinet. Id juri divino & naturæ congruere verissimum, per ea quæ tradit *Tiraquell. de Jur. Primogen. in præfat. n.* 2. *&* 39. estque præprimis introductum ad conservandam dignitatem & splendorem Familiarum. Familiæ enim Illustres per nimias divisiones dispersæ vilescerent, tandemque præter nomen dignitatis nihil retinerent. Nihil etiam tam magnum, quod divisione parvum non fiat. *Bald. in auth. hoc amplius. C. de fideicom.*

 §. 7. Quam

§. 7. Quam maxime in Regnorum Successionibus ab omni ævo hoc jus usurpatum, ut non omnibus liberis ex æquo, sed uni tantum dignitas cum successione cederet. Vis enim unita fortior & distracta debilior. Et infinitas has ex divisione hac secuturas partitiones, dignitates non admittunt; cum eas magis augeri, quam minui deceat. *l.* 19. *ff. de offic. præsid.* Et impossibile, in exiguis partibus, Regis Majestatem & splendorem tueri. Imò filiis successio hæc debetur, licet filia sit primogenita, ob præstantiam sexus.

§. 8. Ultrogenitis vero constituuntur *Apanagia*, quandoque in pecunia numerata seu in reditibus annuis, quandoque in certa Provinciæ portione, vel in aliquo feudo. Hocque suadet ipsa æquitas & naturæ lex, ut ex bonis parentum filiis postgenitis alimenta decernantur. Quantitas autem determinanda ex analogia juris, secundum dignitatem natalium, & provinciarum ampli-

amplitudinem; & qua poſtgeniti ex familia principali Principis vitam agere & familiæ ſplendorem conſervare poſſint. Damit ſie ſich ihrem Standt gemäß halten / und ihre Fürſtliche Reputation manuteniren mögen. *Vid. Myler. ab Ehrenbach. de Princip. & Stat. Imp. p.1. c.22. Rumelin. ad A.B. part. 3. diſſ. 5. §.12. & Myler. ibid. in addit. diſſ. de Jure Apanagii. Argentor. an.1670. hab. in decad. 1. diſſ. inaug. 7.* Excludi E. penitus nequeunt, quia *jure habendi* gaudent, licet *jure utendi*, quod per primogenitum ſuſpenſum, deſtituantur.

§.9. Nec propterea *regna in hereditate* ſunt; ſed hereditaria regna dicuntur ad diſcernenda illa ab *electivis*, in quibus populus jura ſua transfert in perſonam; in illis verò, *hereditariis* nempe, in familiam. Nec *ſucceſſio hereditaria* locum habet, ſed *linealis*, quæ in hoc conſiſtit, *ut omnes, qui ab auctore ſtirpis regnatricis deſcendunt, veluti li-*

neam quandam perpendicularem intelligantur constituere, quarum qualibet regno proprior, prout quisque in eodem gradu sexus, deinde ætatis prærogativa potior. Nec prius ad aliam lineam regnum devolvatur, quam omnes ex priori linea fuerint exstincti, vid. Pufendorff. *d. J. N. & G. lib.* 7. *c.* 7. §. 13. *Doctorem nostrum Dn. Becman. consp. Doctr. Polit, cap.* 9. *p. m.* 51. *Grot. lib.* 2. *c.* 7. §. 22. *& Diss. nostram Inaug. de Conjug. Princip. cum Subdit. c.* 2. §. 2. Et Liberi succedunt parentibus, non *jure filiationis*, sed *jure primatus* in familia.

§. 10. Porro in regnis successio duplex obtinet: *Cognatica*, qua masculi & fœminæ æque admittuntur, ita tamen ut fœminæ & ex iis nati, masculis eorumque natis postponantur. *Grot. lib.* 2. *c.* 7. §. 22. Et talis successio in Anglia, Suecia, Dania, Hispania & Portugallia obtinet. In his duobus posterioribus regnis ita limitata; ne fœminæ exteris nubant, sed indigenis.

Vel

Vel *Agnatica*, marium ex maribus, in Francia ufitata, ex ratione, ne regnum unquam per fœminarum connubia in peregrinorum manus veniat. *Grot. cit. l.* §. 23. Cœpit in Gallia ex *Lege Salica* i. e. aulica, à *Sale* i. e, aula ita dicta, quæ tamen ab Anglis in dubium vocatur.

§. 11. Excluduntur à jure Succedendi (I.) *Liberi naturales*, feu *nothi*, quia (1.) non tam generandi, fed libidinis caufa parentes coiviffe cenfentur; dum horum matrem pater jufto matrimonio dignatus non fuit, & pro inftrumento magis defultoriæ libidinis, quam focia vitæ habuit. (2.) Inter generofas gentes ad contemptum patent. *Grot. l.* 2. *c.* 7. §. 16. (3.) Proles ex delicto nata. (4.) Quia minus certi, in Regnis verò quam maxime expedit perfonam regis effe venerabilem & certam, ad vitandas controverfias & tumultus. Et hinc eft, quod in quibusdam regnis aperto in conclavi reginæ pariant, ne partus

fingi & ſupponi credatur. *Coronam vero ſemel ſuſceptam omnes omnino defectus tollere*, à JCtis Anglicanis annotatum. *vid. Camden. ann. Eliſab. ad An.* 1559: *fin.* (II.) *Adoptivi*, (1.) quia nobilitas generis vere regii magis reverendos efficit reges, majorque de iis ſpes concipitur, quod ſimiles ſint futuri virtutibus illis, ex quorum ſanguine procreati. *Eſt in Juvencis, eſt in equis patrum virtus, nec progenerant aquilæ columbam.* (2.) Quia in naturalem regis ſtirpem populus regnum contulit, hacque deficiente ad ſe voluit redire facultatem, de futura regiminis forma diſponendi. *Grot. all. loc. Pufendorff. l.* 7. *c.* 7. §. 12. Liberi vero naturales perſonarum illuſtrium pro nobilibus habentur; cum alias nobilitate ac dignitate paterna non gaudeant.

§. 12. Liberi etiam *Parentum conditionem* ſequuntur, jure repræſentationis. Ita ut parentis nobilis filius ſit nobilis, niſi jura & conſuetudines aliud

velint.

velint: Uti in Anglia, ſolum primogenitum in parentum jura ſuccedere, ita ut reliqui ſaltem in ſpe his fruantur, fertur, & quidem ob conſervationem familiarum, *de qua in praeced.* In Imperio noſtro Procerum Liberi ſtatim atque nati Parentum dignitate fruuntur, ac proinde Duces, Principes, Marchiones, Comites vocantur æque ac ipſe pater, quia non tam parentibus naſcuntur, quam imperio. Non tamen *in officiis*, quia actus Perſonales perſonam non excedentes. Niſi ſint *officia hereditaria* ex voluntate reip. Ut in Japania & China hujus ſucceſſionis in officiis inter privatos tanta neceſſitas, ut nunquam liberi aliud vitæ genus amplecti poſſint, quam quale parentes habuerunt, e. g. Sutorum & Sartorum filii, non niſi Sutores & Sartores fieri poſſunt. Huc trahenda, quæ leguntur de Linteonibus & Figulis 1 *Chron.* 4. *v ſ.* 21. 23. Nec *in pœnis*; quæ ſuos debent tenere autores, actus enim per-

 ſonales.

ſonales. Et liberi propriè non puniuntur, ſi ſe miſeros ob parentes ſpectare debent, ſed *infortunium* patiuntur.

§. 13. Pro innato hoc amore, Parentibus competit *Patria poteſtas*, eminenter Patri, ob ſexus eminentiam & quia caput familiæ, competens. Eſt vero jus regendi & animadvertendi in liberos. Et quid æquius quam ut is ei, à quo vitam & conſervationem accepit, quoque ſe accommodet.

§. 14. Ex Lege XII. Tabb. hæc poteſtas nimis rigoroſa fuit, habebat enim pater in filium *jus vitæ & necis, terque eum venundandi. l.* 11. *ff. de lib. & poſth. l.* 3. *§.* 1. *de Cap. dim.* Sed aſperitatem hanc, & imperium hoc, quod extra omnem ſphæram Imperii privati eſt, nova hominum converſatio correxit, ut loquitur Imper. §. *ult. I. de noxal. act.* in omni enim imperio requiritur rationabilitas, & officium parentis in pietate, non atrocitate, conſiſtere debet. *l.* 5. *ff. ad L. Pompej. de parric.*

parric. Filium E. delinquentem pater non occidere, *l. un. C. de his qui par. vel lib.* sed ad judicem, ut de causa cognoscat, deferre tenetur. Moderationem hanc in imperio quoque requirit Paulus *Ephes. 6. vers. 4. coll. cum Coloss. cap. 3. v. 21.* Nec libertatem ei eripere aut eum vendere, *l. ult. C. de patr. pot. l. 1. C. de par. qui fil.* (nisi *sanguinolentum* i. e. recens natum, ob famem, *l. 2. eod.* ipsius scil. pueri, non patris, *Gothofred. ad dict. l. 2.*) nec oppignorare, *l. ult. ff. l. 6. C. quæ res pign.* exponere, *tit. C. de infant. expos.* abdicare seu domo potest ejicere, *l. 6. C. de pat. pot.* quæ similiter parentibus, Jure Civili, jure hujus potestatis competant in bona liberorum, præter JCtos magno numero *vid. Tabor. diss. de Patr. potestat. part. 1. c. 3.*

§. 15. Durat tamdiu patria potestas, quamdiu liberi ob defectum judicii, vel necessitates privatas in familia parentum degunt. Grot. *lib. 2. c. 5. §. 2. n. 1.*

& cum eo Politici, tria liberorum tempora distinguunt: (1.) Vocant *Tempus imperfecti judicii*, quo omnes liberorum actiones dominio parentum subjiciuntur. Est etiam naturali rationi conveniens, ut, qui se ipsos regere nequeunt, ab aliis regantur. (2.) *Tempus perfecti judicii*, sed quo filii adhuc manent in familia paterna, (3.) *Tempus perfecti judicii*, quo liberi ex familia paterna egressi. Et ex hoc tempore, licet absolute non pareant amplius, honorem tamen & reverentiam parentibus debent.

§. 16. Terminus imperfecti judicii, æque ac terminus pubertatis à natura non est determinatus; à legibus humanis E. aliquem poni in vita sociali oportuit, ad evitandam confusionem. Unde à nonnullis annus 30. alibi 21. communiter 25. determinatus. In Electoribus vigore A. B. est annus 18. in Rege Romanorum de annis nihil determinatum, unde & hodiernus Rex

Roma-

Romanor. Josephus I. ante 18. electus. Accedit etiam quod ipsa qualitas Regis Romanorum nihil importat, quam certum successorem. Sic Henricus IV. anno ætatis V. designatus Rex Romanorum. In Regibus Suediæ & Daniæ annus 20. ex constitutionibus & consuetudine regnorum. Singulare est, quod Reges Sueciæ tempore minorennitatis se reges hereditarios scribant, post coronationem verò non. Sic Christina se scripsit Principem designatam hereditariam. Reges Galliæ & Hispaniæ anno ætat. 14. coronantur, itidem ex mera constitutione regnorum.

§. 17. Injurii in Deum sunt illi parentes, qui vel propter *numerosam prolem*, vel etiam ob *nullam* murmurant & impatientes sunt. Et quamvis numerosa proles Familiis privatis non nunquam incommodo sit, est tamen benedictio divina reip. Item illi parentum gravissime peccant, qui Deo diffidentes, legitimos amplexus aversan-

tur, aut non vivum, aut vivum embryonem, saltatione, equitatione immoderata, purgationibus, sanguinis missione, poculo abortivo enecant, aut emittunt. Olim fœmina, quæ clam partum vivum occiderat, viva in terram defodiebatur, & acutus stipes per mediam adigebatur. Hodiè vel gladio punitur vel aquis suffocatur. *vid. Const. Carol. crim. art.* 131.

§. 18. Alterum subjectum societatis paternæ sunt *Liberi*, à parentibus ad similitudinem naturæ suæ generati, & educati, consortes eorundem sacrorum, ejusdem nominis, agnationis, civitatis, dignitatis, & bonorum, uti in §§. *præc.* vidimus. Pro quibus summis beneficiis, o utinam liberi parentibus debitam referrent gratiam, secundum præceptum & benedictionem divinam, *Exod.* 20. *vs.* 12. *Honora patrem & matrem, ut sis longævus in terra, quam dominus Deus dabit vobis.* ad. 1 *Timoth.* 5. & rectam rationem, quæ dictitat,

dictitat, ut parentibus pareamus, *l.* 2. *d. J.* & *J.* pietatem debitam præstemus, *l.* 10. *de obseq. par.* sanctam & honestam personam habeamus, *l.* 9. *eod.* veneremur, obsequamur, iis ex naturali ἀντιπελαργίᾳ benefaciamus, provideamus, *Hug. Grot. lib.* 2. *cap.* 7. §. 5. *Enenckel. de Privil. lib.* 7. *c. ult.* eorum salutem propriæ anteponamus, *arg. l.* 1. §. 28. *ad SCt. Sylan.* memoriam piè celebremus. Et eandem pietatem præcipit jus civile *arg. tot. tit. Cod. de obseq. parent. præst.* jubetque, ut parentum dicto liberi sint audientes. *l.* 4. *de R. J.* Exemplo præluxit Regum prudentissimus Salomon 1 *Reg.* 2. *v.* 19. Venienti matri surrexit, adoravit eam civiliter, & sedit super thronum suum, positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dextram ejus. Sed dices, repulsam tamen matri dedit, *vers.* 22. Resp. rectè, quia petitum erat contra statum publicum. Similiter & Christus Matri, quod petebat, denegavit. *Joh.* 2. *v.* 11.

v. II. Illuſtre & æterna laude dignum, quod in hiſtoriis annotatum inveni factum, Caſimiri Marchion. Brandenb. qui decrepitum cœcumque patrem, ne pedem offenderet, manu duxit, eique pro famulo miniſtravit: ut proinde rectiſſimè ipſi *Scipionis Pii* cognomen à poſteris ſit datum. Et pietas Georgii I. Elect. Saxon. qui ad conteſtandam filialem reverentiam in matrem Sophiam, nummos, cum hac inſcriptione cudi curavit: *Ut Salomon, ſic ego Matrem.* Et profectò ſi inter parentes & liberos nulla fiducia eſſet, nusquam amplius quæri poſſet, cum vinculum inter parentes & liberos naturale ſit, reliqua verò omnia externas cauſas habeant. Si pater & mater ſimul juſtum quid mandent, patris mandato ſtandum, quia caput familiæ eſt.

§. 19. Boeclerus *ad Grot. lib.* 2. *c.* 5. *§.* 6. Obſequium parentibus debitum, duobus modis notabiliter limitat: (1.) Per ordinem Juris naturalis naturalem, quo,

quo, Deo debita anteponuntur iis, quæ hominibus debentur. (2.) Ex ordine ad civilem ſocietatem relato, quo quæ Civitati ſeu Reip. debentur naturaliter, anteferuntur iis, quæ liberi parentibus debent.

§. 20. Alias in caſibus hujusmodi dubiis, ſi pater & filius, pater & mater, uxor & filius, in æquali periculo vitæ verſarentur, præferendus is, in quo potior & juſtior cauſa amandi eſt. Quid ſi uxor ſit plane moroſa, inutilis, filius verò bonus, morigerus & optimæ ſpei, cui in periculo vitæ ſuccurrendum potius? Reſpondent Moraliſtæ, filio ſalva conſcientia ſuccurri poſſe hoc caſu, dimiſſa uxore. In foro verò ſoli ſine dubio arbitrariè puniretur, vitandi majoris mali cauſa.

§. 21. Reverentia & obedientia illa, quam liberi parentibus debent, aliquo modo per dignitatem præprimis publicam, tanquam lumen majus, tegitur, ita nempe ut filio, in dignitate conſtituto,

tuto, pater publice cedat, quia privita dignitas publica tegitur. Et ideo Fabius Gurges *teste Plutarch. in Fab. Max.* cum Consul esset, & Patrem Proconsulem sibi obviam haberet, jussit patrem equo descendere, & pro more peditem ad se venire. Exemplum omni exemplo majus Ptolomæi Lagi Regis Ægypti, qui regno abdicato filii satellitem egit. *Justin. lib. 16. cap. 2.* Et graviter ὁ πάνυ Grotius *de J. B. & P. lib. 2. c. 5. §. 6. Regum actus irritos dici, eo nomine non posse, quod parentes habeant. add. Boecler. ibid. in nott.*

CAPUT V.

De Societate Herili.

§. 1.

SUccedit dominica societas s. herilis, quæ est inter dominum & servum. Bene enim constituta œconomia his carere nequit, nam cum Patresfamiliarum nec ubique ac semper in persona

persona omnibus rebus & negotiis præesse possint, utile est habere personas, quotidianas operas in re domestica & familiari præstantes i. e. servos.

§. 2. Ad liberandam vocem *Servitutis* ab æquivocatione, dicimus servitutem esse vel *naturalem*, vel *legalem*. *Natura servi* dicuntur, qui se ipsos regere nequeunt, vel qui minus ingenii, licet plus roboris habent. Quo intuitu barbaros natura servos esse, & ideò libenter ferre dominatum, eo quod sciant obedire, sed non imperare, ait *Aristot.* *Lege servi*, qui se regere nequeunt ob defectum fortunæ, adeoque vitam suam ad nutum arbitriumque dominorum componere coguntur, præstantes dominis operas quotidianas; & de his nobis sermo.

§. 3. Et quanquam hæc sit species subjectionis ignobilissima, & natura omnes nascamur liberi, jure gentium tamen usu exigente & humanis necessitatibus, illam introduci oportuit; quia

alia

alia conservationis nostræ ratio non apparuit, dum ingenia sunt, quæ sibi consulere non possunt, & qui continua aliorum opera egent. A maledictione Noachica *Genes.* 9. ortam esse, firmiter concludi nequit. Prima quidem mentio fit, à qua tamen ad institutionem primam argumentari non possumus. Et verba illa, ℣s. 25. *maledictus Cham, esto servus servorum*, intelligi possunt de servitute civili, quod omnes posteri Chami, subjecti esse deberent fratrum imperio. *Vid. Piscator. ad hunc loc. in explic.* Et etiam animadversum, Chami posteros nunquam stabile imperium condere potuisse, Abyssinis exceptis, quia semper veræ religioni studuerunt.

§. 4. Porro Servi aut nascuntur aut fiunt: nascuntur ex ancillis, sequunturque ventrem seu ancillam, ex qua nati. *l.* 5. §. 2. *de stat. hom. conf. Grot. l.* 2. *c.* 5. *§.* 29. *num.* 2. *& lib.* 3. *c.* 14. *§.* 8. *num.* 1.

§. 5. Fiunt

§. 5. Fiunt (1.) *Pactione*, si homines sponte se subjiciunt, & hujus subjectionis species venditio, cum liber homo justæ ætatis se venundari patitur precii participandi causa. *§. 4. I. de jur. person.* (2.) *Captivitate*, hanc enim victi præ morte libenter eligunt, quamvis libertas alias bonum inæstimabile, vita tamen potior. Requiritur verò, ut fiat in justo bello, non per rapinam s. raptum, quod nullum jus capienti tribuit, nec etiam captivos obligat, sed salva conscientia aufugere possunt. (3.) *Delicto*, quales hodiè condemnati ad triremes, aurifodinas Americanas & Peruanas, in ditionibus Austriacis ad fodinas mercuriales.

§. 6. Consequens hujus subjectionis est, quod jus consequatur dominus in *Personam* & *res* servi. Jure Romano, servi nihil sibi acquirere potuere, sed quicquid acquirebant, domino cedebat. Rebus æquiparabantur: in muneribus & actionibus civilibus pro nullis habe-

habebantur. Nec injuriarum capaces habiti, nisi ex persona domini. In servos jus vitæ & necis competebat, ad coërcendam tum temporis magnam servorum malitiam. *l. 1. ff. de his qui sui vel al. jur. sunt. §. 1. I. eod. vid. Dn. Struv. Ex. 3. th. 5. & seq.* Verum hæc crudelitas, ut & cætera, in bene constitutis rebuspubl. semper temperata, & temperari debuere; quia nulla ratione jus hominis à servo tolli potest. Et quia servitus statui hominum privato tantum adæquata, jura etiam, quæ extra sphæram imperii privati sunt, tolli debuere. Nec servum captivum dominus occidere potest, quia, dum servitutem obtulit, veluti ex pacto statum mutavit ac juri occidendi renunciavit.

§. 7. Humaniter E. servum habere debet, sævire in eum domino non permittitur, sive gravi, sive levi causa. §. 2. *I. de his qui sui vel al.* Nec ad inhonesta servitia adigere potest, quia non tantum viribus humanis majora, sed

etiam

etiam humanæ conditioni repugnantia. Et si fiat, fugere potest, quia *servitus est calamitosa* i. e. ultra humanum modum extensa. Reverti verò debet si constiterit dominum animum mutasse, nexus enim manet, & actus imperii saltem suspensi, salvo jure imperii. At si de constanti iracundo animo constet, nexus tacitè tollitur. Aliqua etiam acquirere permittendum, præsertim quæ sine præjudicio operarum præstandarum acquiri à servo possunt.

§, 8. Denique servitus dispescitur in *Perfectam*, qua ad perpetuam operam præstandam pro alimentis & aliis vitæ necessarijs, obstricti sunt. Qualis superesse dicitur in Asia, Africa & America: & *Imperfectam*, quæ vel *in diem*, vel *sub conditione*, vel *ad res certas*, qualis est mercenariorum & nostrorum servorum. Et in Veteri Testamento *Hebræorum* tempore septennii limitata. Libertas verò in septimo anno sperata duobus incommodis erat gravata: nam

aut

aut deserenda erat uxor tempore servitutis ducta cum liberis, aut promissio facienda perpetuæ servitutis. Prioris ratione dominus jure suo fraudaretur. Posterioris ritus, erat perforatio auris ad postes januæ, tum in signum promptitudinis ad excipienda mandata domini, tum etiam in signum obligationis ad domum istam, ad quam introitum habebat per januam. *Exod.* 21. *v.* 2. *& seq. add. Piscator. ad h. loc.*

§. 9. Modi hujus *Imperfectæ Servitutis* in infinitum extenduntur; gradus quoque habent, alios servituti perfectæ propriores; alios remotiores. In *hominibus propriis* vestigia servitutis, quales in Episcopatu Monasteriensi, Comitatu Ravensburgico, Bentheimiensi &c. & proximè quidem absunt à servitute perfecta, sed verè mancipia non sunt; habent enim aliquid proprii, sibique aliqua acquirere possunt. *Vid. Dn. Bucksulber, diss. Inaug. de homin. propr. tot. Duisburg. An.* 1684. *habit.*

Stamm.

Stamm. de homin. propr. item in illis qui *certæ glebæ* ita sunt adstricti, ut invitis dominis nec secedere, neque etiam bona immobilia jure mancipi possidere queant; & bona vocantur Schufflehen/ oder Fallgüter; quia non perveniunt ad heredes, sed mortuis possessoribus domino cedunt, & ab heredibus certo interveniente pretio iterum conduci debent. *vid. D. Schottel. de Sing. & antiq. Germ. jur. cap.* 18. vom Schupflehn Recht. Et ideò Schupflehn/ dici tradit, weilen die Erben davon geschupfft werden. Et Fallgüter / weil sie allemahl dem Herren wieder anheim fallen. *Conf. Lehman. Chron. Spir. lib.* 1. *c.* 2.

CAPUT VI.

De Familia & Collegiis.

§. 1.

EX Societatibus simplicibus, conjugali, patria & dominica, oritur

 familia,

familia, quam hic ſumimus pro conſociatione hominum domeſticorum, ſub eodem tecto viventium, imperio unius, uſus quotidiani gratia, devinctorum.

§. 2. Communi etiam & latiſſimo ſenſu *Familiæ* vox notat omnes homines, etiam plurium familiarum, qui ex una domo & gente (ſcil. ſpeciali) prodierunt. *vid. l.* 195. §. 4. *de V. S.* Sic dicebantur olim Familia Julia, omnes ii, eorumque familiæ, qui à Julio prodierant, ut erant familiæ Mentonum, Cæſarum & aliorum. *vid. Tabor. Racemat. crim. definit. ad tit. ſi famil. furt. feciſſe dic.* Et Germanis uſitatiſſimum, in eodem ſenſu uſurpare vocem, Hauß pro geſchlecht. v. g. das Hauß Sachſen / das Hauß Brandenburg / das Hauß Neuburg ꝛc. Et his Familiis maximum addit ſplendorem *Antiquitas meritis clara*; ſimpliciter enim conſiderata nihil addit, cum omnes communem habeamus originem. Ut proinde non abs re cecinerit, quisquis ille fuerit,

rit, Germanus:

Da Adam hackt / und Eva span /
Wa war damahl der Edelman.

Et huic festivè respondit Maximilianus I. Imperat. cum Rhythmum hunc alicubi legisset:

Ich bin ein Mann / wie ein ander
Mann /
Nur daß mir Gott die Ehre gan.

Et quid multa, venerationem habet castellum & ædificium antiquum, quod nulla ruina invasit, imò annosa & procera arbor solida adhuc & integra; quantò magis igitur antiqua & nobilis prosapia à fluctibus & procellis temporis illæsa? *vid. Celeb. Dn. Becman. de Notit. Dignit. Illustr. diss.* II. *cap.* 2. §. 8. *&* 9.

§. 3. Habita ratione acceptationis §. 1. adductæ, ad familiam ad minimum requiruntur tres, Pater, Mater & his obtemperans servus. Sed *an Liberi non sunt pars familiæ?* Resp. non esse partes familiæ, ut familiæ, quia non per li-

beros, ſed propter liberos conſtituuntur familiæ. Ideoque requiruntur ad integritatem familiæ non eſſentialem, ſed accidentalem. De Familia eſſe dicuntur, qui habitant in domo. Quod obſervandum in caſu privilegii familiæ conceſſi. Familia enim privilegiati eodem quo Paterfamilias jure & immunitate utitur. *Mevius p.* 8. *deciſ.* 243. Niſi illam communi & latiſſimo ſenſu §. 2. adducto ſumere velis.

§. 4. Sequuntur *Collegia*, ob meliorem ordinem & facilius expedienda negotia humana, inventa. Suntque legitima hominum, extra uſum quotidianum, eadem profeſſione aut officio junctorum conſociationes. Qualia *Opificum*, ubi quilibet artificum habet rerum ad id pertinentium cognitionem. Germ. Zünffte / zu ſammenkünffte / Gilden. Et inſuper à ſuperioribus conceſſam condendorum ſtatutorum ac ordinationum facultatem habent. Legibus tamen publicis non contrariari,

vel

vel limites commissæ administrationis egredi, aut monopolii iniquitatem sapere debent. *Gail. lib.* 2. *obs.* 20. *n.* 29. Et ad præcavendos abusus statuta collegialia plerumque à Superiore confirmantur. *Gail. de Pace publ. cap.* 6. *n.* 10. Imò *Directores negotiorum* ad Collegium pertinentium dantur, & nonnunquam Senatus urbanus unum è membris suis ipsis adjungere solet.

§. 5. Utilitas Collegiorum Opificum ex eo apparet, quòd si liceret promiscuè opificibus sedem figere, numerus tandem in Civitate s. Republ. se ipsum everteret. e. g. si in loco, ubi 10. Sutores sufficiunt, 20. admitterentur, nemo eorum in vitæ necessariis sibi prospicere valeret.

§. 6. Ad constituendum in genere Collegium requiruntur tres ad minimum, unus vero jus Collegii tueri potest. *l.* 17. *§.* 2. *ff. quod cujusque un. nom. conf. c.* 2. §. 2.

§. 7. Formam collegii, collegarum

 inter

inter se unio, & mutua obligatio secundum pacta conventa, absolvit.

§. 8. Geruntur & expediuntur in Collegiis negotia per *vota* seu *suffragia*. Est *jus suffragii* facultas proferendi sententiam de rebus ad societatem pertinentibus, cum aptitudine ad effectum. Et ex pluralitate seu numero æstimantur. *Pars enim major censetur habere jus & rationem integri*, Grot. *l.* 2. *c.* 5. §. 17. paria vota nullum habent effectum. *Grot. all. l.* §. 18. Et si in plures partes eatur, conjungendæ sententiæ, quarum altera partem alterius includit; separandæ, quæ toto cœlo differunt. e. g. Si 10. reum morte puniendum esse censent, 8. verò relegandum esse pronunciant, 6. vero vel etiam 10. reum absolvendum esse volunt; Reus morte puniri non potest, quia 8. eum relegari, & 6. vel 10. absolvi voluerunt, per consequens major numerus & plurima vota eò tendunt, quod in vivis relinqui debeat, sicque etiam hi prævalent

valent & aliorum vota suis includunt. *vid. Grot. l. 2. c. 5. §. 19. & adde sis Ziegler. in not.*

§. 9. Quia etiam §. 4. diximus, Collegia esse *consociationes legitimas*, excluduntur Conventicula otiosa, commessationes, conspirationes, factiones & omnes contra decorum publicum conventiones, licet etiam sub prætextu quodam pietatis fiant & habeantur, in his enim nonnunquam, imò quam plurimum, contra veram religionem machinæ struuntur, & reip. inde periculosa confusio in religione vera creatur. Sciolos enim in Collegiis hisce pietatis, uti vocantur, invenimus, nescio quid non, sub pallio pietatis tegentes. Flocci faciunt, imò contemptui habent illos, qui ejusmodi phantasia pietatis non imbuti. Unde & laudabiliter à nonnullis Principibus Collegia hujusmodi pietatis, ob periculum, quod religio publica inde, & ipsa Respubl. metuebat, edictis publicis prohibita.

& hoc ipſum Lipſiæ factum memini, cum ibidem ſtudiorum gratia hærebam.

§. 10. Inſigniores Societates verbo addam, quales ſunt: Fœdus Hanſeaticum, Societas Mercatoria Viennenſis, Societates Indicæ Orientalis & Occidentalis in Belgio. Societates Philoſophicæ Virtuoſorum in Anglia, & Naturæ Curioſorum in Germania, Gallorum, Danorum. Societates Philologicæ ad excolendam linguam Patriam, Germanorum, Gallorum, Italorum.

CAPUT VII.

De Republica.

§. 1.

VIſis jam ſocietatibus privatis, ex quarum coalitione Civitas ſeu Reſpublica conſtituitur, & quas eminenter complectitur, ad ipſius Reipubl. conſiderationem progredimur.

§. 2. Dicimus cum Grotio *de J. B. & P.*

& P. lib. 2. *c.* 5. *§.* 23. *& prolegom. th.* 21. *Rempublicam esse Societatem perfectissimam* i. e. omnia in se complectentem, quæ ad vitam rectè tuendam sunt necessaria, *ex consociatione multarum familiarum in unam civitatem seu populum ortam.* Quam & *lib.* 1. *c.* 3. §. 7. *n.* 1. vocat *cœtum perfectum.* Addens, *nullam actionem humanam externam esse, quæ non ad hanc societatem aut per se spectet, aut ex circumstantiis spectare possit; all. lib.* 2. *c.* 5. *§.* 23. Ordinem enim vitæ humanæ præstat & hinc, sicut nulla actio humana sine ordine esse potest, ita & nulla est, quin hac de causa Reipub. subjaceat. Et porrò *ultra eam nihil dari*, quia *in imperiis progressus in infinitum non datur*, sed omnino in aliqua persona aut cœtu consistendum est, ut subtiliter asserit *Id. lib.* 1. *cap.* 3. *§.* 8. *n.* 4. Nec perfectior aliqua societas fingi potest, quia perfectissimo dari nequit perfectius. Unde etiam est, quod ajunt; quod si accideret, ut totum ge-

nus humanum in unum cœtum redigeretur, cœtum illum itidem non alium, quam Rempubl. fore.

§. 3. Quæ autem de perfectione dicta, humano modo & more accipienda, nihilque ultra humanum modum extendendum. Nec obſtabit, quod una altera ſit perfectior, quia per accidens hoc evenit, non naturali perfectione. Et ad perfectionem ſufficit, quod plurima vel ſaltem majora mala tollit, & ordinem præſtat, ita ut quidlibet cuivis arbitrio nôn ſit permiſſum.

§. 4. De *Origine Reipubl.* eleganter diſſerit Cic. *lib. 2. de nat. Deor.* ſequentibus: *Prima nempe in ipſo conjugio eſt, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia: ſequuntur conjunctiones fratrum, poſt conſobrinorum, ſobrinorumque; qui cum una domo jam capi non poſſint, in alias domus tanquam colonias exeunt: Inde igitur pagus, familiarum plurium compages. Inde porro civitas, ad cujus tanquam animalis politici*

tici constitutionem concurrunt pagi & familiæ, natura duce in id inclinantes, ut cœtum faciant, & ex hoc perfectiores Confer quæ de orig. vitæ socialis cap. 1. §. 7. & 8. diximus: nim. instinctum illum ζῶν πολιτικὸν, seu propensionem illam in vitam socialem, quam Deus auctor omnis ordinis, hominibus indidit, homines excitasse, concurrente indigentia & insufficientia humana, studioque se conservandi, ad jucundam vitam socialem. *add. Cyriac. Lentul. Polit. meridiat. part. anter. p. m.* 147. & *seq. it.* 162.

§. 5. *Materia Reipubl. primaria*, est *hominum civilis societatis capacium multitudo.* Urbes enim sine hominum cœtu non potuissent nec ædificari, nec frequentari, ait *Cic. lib.* 3. *de offic.* nec multitudo & quantitas civium nimium augeri debet, sed mediocris hominum quantitas non deficientium, quam ingens turba miscellanei cœtus, præstabit. Nam uti ingentis capacitatis navis

non facile gubernatur; ita turba multitudinis confusæ, nec ordine nec moribus, imperii meliorum patiens, se ipsam & rectorem evertit. *Secundaria* est *Territorium*; & licet primaria interdum sufficiat, ut in exercitu virorum, mulierum, puerorum novas sedes quærentium; item exemplo Israelitarum, in deserto veram rempubl. constituentium, territorium verò seu sedem reip. non habentium, patet; debet tamen tandem certum territorium constitui, ob certitudinem Reipublicæ. *vid. Hug. Grot. d. J. B. & P. lib.* 2. *c.* 3. *§.* 4. *n.* 1. *Cyr. Lentul. all. Tr. part. anter. p.* 186. *&* 195. dum de migratione Israelitarum diximus, verbo adjicimus, lusum diaboli in imitanda hac migratione, peregrinatione 80. annorum *Mexicanis* in America injuncta, institutis Sacerdotibus & Arca circumgestata, apud *Horn. diss. Histor. Polit. diss.* 32. *f.* 327. *& seqq.*

§. 6. Forma ex ratione Imperii seu Legibus fundamentalibus desumenda.

Hæ

Hæ enim ſunt vincula quibus imperantes & parentes cohærent, & ſpiritus vitalis, quem tot millia trahunt. *Sen. de Clem. l.* 4. Et ab his pacata reipubl. adminiſtratio dependet.

§. 7. Cœtus E. Latronum & Piratarum rempubl. conſtituere nequit, etiamſi æqualitatem aliquam inter ſe ſervent, ſine qua nullus cœtus conſiſtere poteſt, quia tantum criminis cauſa ſociantur. *Grot. lib.* 3. *c.* 3. §. 2. *n.* 1. *Henning. in not.* Occaſionaliter addenda opprobria ab Ætolis Romanorum republ. objecta apud *Juſtin. l.* 28. *c.* 3. Romanos paſtores eſſe, *qui* (1.) *Latrocinio juſtis Dominis ademptum ſolum teneant.* Et *qui* (2.) *cum uxores propter originis dehoneſtamenta non invenirent, vi publica rapuerint.* Et (3.) *qui urbem ipſam parricidio condiderint, memoriamque fundamenti fraterno ſanguine aſperſerint.* Ad hæc tamen reſponderi ſolet, & quidem ad (1.) ex *Grot. l.* 3. *c.* 3. §. 3. Latrones Civitatem conſtituere poſſe,

ſi vitæ genus mutent. ad 2. & 3. itidem *ex Grot. l. 2. c. 5. §. 16.* indecentiam non duraſſe in effectu. non omnia, quæ in initio injuſta & illicita, irrita eſſe. Ætoli etiam deinde Romanis faſtus hujus pœnas dederunt, exuti enim libertate & Principes captivi abducti. *vid. Juſtin. l. 32. c. 1. & l. 33. c. 11.*

§. 8. Conſtituitur ſeu coaleſcit reſpubl. ex partibus *perfectis* & *imperfectis*. Et diſtinctio hæc ad imitationem anatomicæ diſtinctionis, qua corpus humanum in partes perfectas & imperfectas diſpeſcitur, inſtituta. Imperfectæ dici poſſunt ſocietates privatæ; perfectæ, pagi, vici, urbes, provinciæ, ſingulæ ſingularem reip. imaginem repræſentantes. *Pagus* conſtat ex conſociatione familiarum ruralium. *Civitas* ex commoditatibus, quibus in vita humana indigemus, æſtimari poteſt. *Vicus* mediæ naturæ, ſocietate rurali major, minora tamen commoda,

quam

quam civitas habet. Et in singulis hisce species Jurisdictionis remanet, quam respubl. alias sibi debitam per illos exercet.

§. 9. Discrimen inter *civitatem* & *urbem* tale formatur: per *Civitatem* ipsos cives, corpus hominum habitantium; per *urbem* civium habitationes, denotant. Hancque in rem notanda æquivocatio Romanorum, promittentium Carthaginem fore liberam, corpus civium Carthaginensium, non ipsam urbem habitationem civium intelligentium. *Flor. lib.* 2. *c.* 15.

§. 10. Excrescentibus hominum malitiis, ut à latronibus & invasionibus hostium & injuriis ferarum eò securiores & tutiores essent mortales, mœnibus urbes circumdatæ. Simpliciter verò necessaria non esse, exemplo Lutetiæ Parisiorum, Londini, & in universum ferè Angliæ civitatum comprobatur. Item in Polonia & Suecia rarius muris cinctæ. *vid. Cl. Dn. Becmanum*

manum Hiſtor. Geograph. & Civil. p. 1. *c.* 8. *ſect.* 2.

§. 11. *Fortalitia* maximè neceſſaria ſunt, ad defenſionem contra hoſtilem vim & irruptionem. Et præprimis *limitanea*, quæ claves rerumpublicarum ſunt, ut hoſtes ab ingreſſu regionis arceantur, & nosmet ipſi hoſtile ſolum facilius involare poſſimus.

§. 12. Plures etiam urbes inita ſocietate in unam remp. coiverunt, idque vel pacto, vel jure belli, vel vi, ut eò ſecuriores mutuo auxilio jure belli viverent. Et tales reſpubl. dicuntur confœderatæ ſive unitæ. Illuſtriora exempla ſunt Reſpubl. Helvetiorum, & Provinciæ Fœderati Belgii ſeptem, & 77. Civitates Hanſeaticæ. *vid. Schottel. all. Tr. cap.* 26. §. 29. *& ſeqq.*

CAPUT

CAPUT VIII.

De Majestate.

§. 1.

SUmma potestas, quæ in unaquaque Republica existit, & qua velut anima illa vivit, singulique consociantur in unum finem, vulgò & propriè dicitur *Majestas.* Alibi variato termino *Suprematus*, & vicino, *Superioritatis Territorialis* (quæ Principibus Germanici Imperii tribuitur. *Myler. ab Ehrenbach. de Stat. Imp. P.* 1. *c.* 14. *§.* 11.) nomine venit. *conf. infr.* §. 54.

§. 2. Ad clariorem lucem nominis, *ne decipiamur ambiguo nominis sono, aut rerum externarum specie* Grot. *de J. B. & P. lib.* 1. *c.* 3. *§.* 10. monendum; Majestatem aliquando significare summam in Republ. dignitatem, externumque splendorem: eaque ratione soli Imperatori Romano, rectè tribui Majestatem, quia ipse caput Imperii, cui Principes

cipes tanquam Membra assistunt, cui singuli Ordines Imperii nomine juramentum fidelitatis præstant, quem &, ut Vasalli Dominum, reverenter habent, & Ihren allergnädigsten Kayser und Herzen vocant, tradit *Schvveder. Introd. in Jus Publ. Part. gen. c. 2. §. 19.* Splendor hujusmodi externus & verborum pompa in Titulis Veterum Imperatorum Roman. quoque deprehendi potest. *vid. l. 10. l. 14. §. 11. C. d. SS. Eccles. §. 11. I. d. adopt. l. 5. C. d. Emancip. lib. l. fin. C. de defens. civit. l. 11. C. de Cohortal. l. 1. C. quando Imp. int. pup. l. un. C. de novi operis nunciatione.* qui non nisi ad conservandam & conciliandam sibi auctoritatem apud Populum, & exprimendam dignitatem & eminentiam suam adhibiti. Sic nomine tantum Reges fuere, Reges Spartanorum Veterum, auctoritate suadendi, non jubendi, præditi. Primi quidem erant in republica, verum suberant Ephoris. Facit verò splendor

ſplendor ille Titulorum, ut magnifice de Principibus ſentiant ſubditi. *Rumelin. ad A. B. p.* 3. *diſſ.* 2. §. 2.

§. 3. Nos *Majeſtatem* in primaria ſignificatione, & qualis ipſa in ſe eſt, nempe ut ſummam & eminentem poteſtatem, conſiderabimus.

§. 4. Unde verò Majeſtas producatur & ortum habeat, in eo Eruditi non conveniunt. Tres præcipuæ ſunt opiniones; Primam vid. ap. Grotium *de J. B. & P. l.* 1. *c.* 4. *§.* 7. ſecundam apud Dn. de Puſendorff *de J. N. & G. lib.* 7. *cap.* 3. §. 3. Tertia eſt Ziegleri, Hornei, Henning. & aliorum, *Deum cauſam immediatam & unicam Majeſtatis eſſe* aſſerentium. Nec inſtituti, nec officii mei erit, Summorum Virorum Opiniones examinare. Meam ergò, quam ex Doctore meo *Excell. Dn. Becmano*, hauſi, brevibus proponam. Cum quo diſtinguere placet circa originem Majeſtatis inter cauſam *Externam ſ. primam*, quæ dat eſſe rei,

&

& *internam s. proximam*, ex qua res fluit. & Deum, uti omnium rerum, sic quoque Majestatis causam esse, sed primam & externam, non internam & proximam, ex qua immediatè fluat, dicimus. Quemadmodum Deus causa immediata viroris in gramine, & tamen idem viror in ipso gramine causam suam internam habet. Ex ipsis juribus Majestatis hæc conspicua, quorum quædam nimis clarè, e. g. jus dignitatum, Jus Monetæ, Fœderum, commerciorum &c. causam suam extra Imperium Divinum habent. Quæ vero Jura habet Majestas extra Imperium Divinum, sine dubio habet à Republ.

§. 5. Nam uti Homines non Dei præcepto, sed sponte adducti, experimento infirmitatis familiarum, quæ hinc inde dispersæ, sicque à fortioribus violentis se facile opprimi posse viderunt, adversus violentiam talem, ut sibi remedia quærerent, & sufficientiam, quam nec à se ipsis, nec ab uno

vel

vel altero exſpectare poterant, ſibi præſtare poſſent, ſocietatem civilem ſ. rempubl. inierunt; Sic quoque jura eorum in unum complexum coaluiſſe cenſenda ſunt, utpote ſine qua ſocietas inefficax fuiſſet. Et hic *complexus jurium*, meritò *ſumma poteſtas* inter homines dicitur, quia ultra id, quod omnes habent, non datur. Eſt inſuper prima productio reipublicæ, ex cujus natura hæc non minus derivatur, ac jura ſingula ex ſingulis hominibus, qui iis gaudent, non à cauſa extrinſeca, ſed vi naturæ ſuæ, quia homines ſunt. Nec poſſumus rempublicam, corpus artificiale, deteriori in loco habere, quam alia corpora naturalia & moralia, quæ ſunt nulla, ſi non qualitatibus ex natura ſua fluentibus, per quas operentur, inſtructa ſint; Ita Reſp. quoque, tanquam corpus morale, qualitate hujusmodi, per quam efficax ſit, inſtructa eſſe debet: Illa verò eſt *Summa Poteſtas* ſ. *Majeſtas*, complexus omnium jurium,

jurium, f. facultas exercendi jura singulorum, quæ in Rempublicam æque, ac se ipsos, homines transtulerunt.

§. 6. Unde & dicitur *Majestas* Reipublicæ *actuositas*, qua omnia agere, jubere & prohibere potest; & quod vita in unoquoque vivente, id Majestas est in Republ. *Est spiritus ille vitalis, quem tot millia trahunt*, ut Seneca loquitur *lib*. 1. *de Clement*. *c*. 4.

§. 7. Et hinc in Sacris monumentis Imperium Politicum dicitur *Divina ordinatio Roman*. 13. *v*. 2. *seq*. Respectu divinæ ejus originis, & *Humana* 1 *Petr*. 2. *v*. 13. respectu specialis jam dicti ortus. *Grot*. *lib*. 1. *c*. 4. §. 7. *n*. 3. *&* *lib*. 2. *c*. 9. §. 3. *n*. 1. Hanc sententiam antea in disput. sub Præsid. *prælaud. Excell. Dn. Becmani, de Securitate Doctrin. Reform. Relig. de Magistr. Politico*, in Illustri Viadrina publicè ventilavi; eamque postea in Dissert. Inaug. *de Conjug. Princip. cum Subditis*, *cap*. 1. §. 4. *Duisburgi Cliv*. repetii.

§. 8. Ut

§. 8. Ut Majestati eò melius cautum sit, dictam translationem jurium *privativè*, nulla juris parte retenta, & *irrevocabiliter*, uti pacta perfecta privatorum se habent, factam esse censemus, per ea, quæ Grotius tradit *lib*.1. *c*.3. §. 9. *&* *c*. 4. §. 4. Imò talem Translationem, qualem olim à Populo Romano, per celebrem Legem Regiam, factam legimus apud *Dion. Caſſ. lib*.53. *vid. Dn. Becman. Medit. Polit. c*. 12. §. 5. 6. *it. Diſſ. de Lege Regia.* & *Diſſ. noſtr. Inaug. d. c*.1. §. 5. Quæ lex, licet temporibus Augusti nomen Regiæ non habuerit, propter invidiam nominis, cum Augustus etiam Dictatoris nomen edicto prohibuerit, & ne *dominus* appellaretur nudo pectore deprecatus sit; *vid. Sueton. in Auguſt. cap*. 52. 53. tamen ab effectu postea apud JCtos Legis Regiæ nomen obtinuit.

§. 9. Definitur itaque *Majeſtas*, quod sit summa & libera Potestas regendi Societatem Civilem.

§.10. Di-

§. 10. Dicitur esse *Potestas* (i. e. Imperium) non dependens, limitata & restricta; sed independens: *Summa*, quam Vir Summus H. Grot. *de J. B. & P. l.* 1. *c.* 3. §. 7. sequent. circumloquitur, *cujus actus alterius juri non subsunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti possint reddi.* Et circumlocutio hæc est infallibile γνώρισμα τοῦ κυρίου. Est enim Majestas quid in se perfectum, utpote quod in se stat & subsistit, quod se ipsum absolvit, atque determinat, quod denique ipsum est, seque implet totum sui. Tanta igitur est potestas, quanta nunquam gaudet, nec gaudere potest Magistratus, etiamsi summus. Majestas enim à Magistratu discernenda, tanquam omnium Magistratuum causa, fons & scaturigo, & propterea ne dignitas quidem dicenda ea est, sed dignitatum omnium culmen, fundamentum & principium, quemadmodum nec stipes, à quo gradus veniunt, gradum facit. *Matth. Stephan.*

Stephan. de Jurisdict. lib. 2. part. 1. c. 1. n. 1. & seq.

§. 11. Impropriè hinc etiam Summi Principes Magiſtratus vocantur. Ex Majeſtate enim, tanquam Oceano, ſeu abyſſo Politicæ Poteſtatis, (eo modo quo ex mari fluvii cuncti) per delegationes, Commiſſarios, Ordinationes, Inveſtituras &c. omnis oritur Jurisdictio Magiſtratuum inferiorum: ad eandem redeunt, quemadmodum omnia flumina in mare. *Zieglerus de Jur. Majeſt. lib. 1. c. 29. §. 11.*

§. 12. Porro hinc vires mutuatur vulgatum illud axioma: Quod quamvis quis in ampliſſima forma inveſtiatur, vel Jurisdictio concedatur, nihilominus tamen Superiorem Jurisdictionem concedens ſibi reſervet. Subordinatè enim conceditur, non enim cenſetur Princeps, alicui adeò plenam Jurisdictionem conceſſiſſe, ut non majorem penes ſe retinuerit. *D. Struv. Synt. Jur. Feud. cap. 6. §. 18. n. 4. 5.* & à Principe

Jurisdictionem abdicari, perinde est, ac si ignis desineret esse calidus. *Lampad. de Rep. Rom. Germ. lib. 3. c. 16. §. 3.* Nec sub generali concessione venit. *cap. in generali de R. J. in Vlto.* Et Jurisdictionis appellatione in dubio solum concessa videtur inferior. Hinc etiam Jurisdictio Nobilium semper supposita est Jurisdictioni superiori, ita ut non saltem Superioritas, recognitio & fides Superiori maneat salva, verum etiam ut ad ipsum appellari, præventioni locus esse, & ad ipsum supplicari possit. *Mynsinger. centur. 6. obs. 99. Struv. S. J. Civil. Ex. 4. th. 80. Ziegler. all. loc. §. 13. VVurmser. Ex. 3. quæst. 10.*

§. 13. Huic fundamento etiam innititur illud: Quod Majestate superveniente, nullus Magistratus Jurisdictionem suam retineat salvam; ad eum modum quo lumen majus tegit s. tollit minus, seu Oriente Sole, Stellæ aliæ cunctæ obscurantur. Et fluxisse hoc sine dubio, ex antiquissimo Germanorum

rum

rum Proverbio; (desumpto auß dem Schwabischen Recht / oder Schwaben spiegel part. 1. c. 13. ex Rubr. Von des Königs gewalt:) wo der Keyser hinkommet / da stehet Ihme das Recht offen / tradit cit. *Myler. ab Ehrenbach. d. Tr. p.* 1. *c.* 14. §. 20. Et §. 21. addit, fallere hoc in Principibus & Statibus Imperii Romano-Germanici, quia Ducatus, Comitatus ac territoria cum Regalibus, propter bene merita Imperio & Imperatori præstita, per Infeudationem Irrevocabiliter, hæreditario & perpetuo jure, concessa, adeò ut Jurisdictionem territorialem, Patrimonii jure, Status Imperii possideant. *conf. Bocer. de Jurisd. c.* 8. *n.* 80.

§. 14. Occasionaliter hic etiam quæri potest, (1.) quo in loco habenda sit, Veterum *Romanorum Dictatorum Summa Potestas?* Dici possunt habuisse Summam Potestatem, sed non quoad modum habendi, quia jus illorum temporarium erat. Ad summam vero Po-

 testatem,

testatem, summa etiam requiritur perfectio, & inter alia summa duratio, quæ nullius arbitrio tolli potest, prout Deus, cujus Imperantes Vicarii, temporarius non est, sic etiam Vicaria ejus Potestas temporaria esse nequit. Hinc etiam axioma: *Respublicas esse æternas*, s. immortales i. e. nullo desinendi tempore definitas. Distinguendum itaque inter Potestatem absolutam & summam. Absoluta rectè tribuitur, non v. summa. Qualem etiam habuit Wallensteinius Dux; in Exercitum Cæsareum non verò summam, rationibus enim reddendis tenebatur, & actus ipsius alterius juri suberant. Et præcedenti sæculo Belgæ Leicestrio Generali Auxiliarium ab Elisabetha Regina ad Ipsos misso potestatem absolutam in Fœderatas Provincias commiserunt. Quod cum Elisabetha ægerrime ferret, subtiliter illi se excusare, distinguendo inter *auctoritatem absolutam* & *supremam*; & quod illa auctoritas ad turbas vitan-

das

das alicui necessario fuerit deferenda; nec illam tantam esse, quantam verbum *Absoluta* præ se ferre videatur, cum ipse Principatus & Dominatio Suprema & Dominii dignitas penes Populum integra maneat. *Camden. Annal. Elis. ad A.* 1586.

§. 15. (2.) Tutoribus verò s. Curatoribus Regum, qui jure habendi, non verò utendi gaudent, Majestatem denegamus. Rationibus enim reddendis tenentur. Et Curatorio s. tutorio nomine omnia agere publicè & privatim docent. Et communiter Regiæ Viduæ Tutelam in Regnis gerunt, quas ideò *Reginas Regentes* vocant. Exemplum fuit in hodierni Regis Galliæ Matre. De usu Imperii Rom. Germ. si Status Imperii, vel alii immediati Pupilli ac Minores, vide sis *sæp. all. Myler. ab Ehrenbach. part.* 1. *cap.* 29. *tot.*

§. 16. II. Dicitur *Summa*, eo quod nullam recognoscat Superiorem nec Parem, (nisi Deum & gladium) quem-

admodum primum id eſt, quo nihil datur prius; ita illud demum rectè dicitur Summum, quo Superius nihil eſt. Hinc Rex in Regno, non ſolum ſuper ſingulos, ſed etiam ſupra omnes ſimul. Nullam hoc in charactere admittit communionem, non enim niſi Subditos habet, quorum in loco etiam filii ſunt. Adjiciendum proinde elegans reſponſum Petri Toletani, Legati Hiſpaniarum Regis ad Henric. IV. Regem Galliæ: Quem cum aliquis nomine Reginæ tanquam ipſius Cognatum ſalutaret, dixit: *Reges & Reginas nullos habere cognatos, ſed tantum Subditos. contin. Thuan. l. 1. ad An.* 1609. Et ea *Regni eſt ſanctitas, ut nemo præter Regem in regno eſſe poſſit, aut debeat, qui non agnoſcat Regiam Majeſtatem, ſive cui Rex non ſit Rex. Boecler. ann. Tacit. lib. 1. c.* 15. Egregiè Tertullianus, *Reges in ſolius Dei poteſtate ſunt, à quo ſunt, à quo ſunt ſecundi, poſt quem primi, ante omnes & ſuper omnes Deos & homines.*

§. 17. III.

§. 17. III. Quia Majestas est *Summa Potestas*, sequitur eandem neque *rationibus reddendis*, neque *pœna humana* obnoxiam. Utrumque enim præsupponit Superiorem, qualis hic citra repugnantiam intelligi nequit; cum Summo Superius in eodem ordine dari non possit. *Impune quidvis facere, id est Regem esse*, ait Salust. & Plin. *Illud in Principatu beatissimum, quod nihil cogitur*.

§. 18. Notandum verò duplici modo reddi rationes; vel ut *Superiori*, vel ut *Æquali*. Superiori si rationes reddendæ, sufficienter debent probari; hoc non facto, acta rescindere, insuperque pœnam dictare potest. Æquali si reddendæ, gesta prout gesta saltem probo in hunc finem, ut pro viro bono & prudenti habear. Priori modo Majestas nemini mortalium ad rationes reddendas obstricta. Posteriori modo student famæ studiosissimi Principes, actorum seu rerum suarum rationes universo terrarum orbi, tuendæ

existimationis causa, reddere; ut in belli declarationibus, aliisque scriptis, quæ *Manifesta* vulgò vocantur. Quod etiam nihil subjectionis habet. Sic liberam de rebus meis disponendi habeo facultatem, nihilominus interdum rationem erogatorum constare volo, ne titulus dissoluti & stolidi Patrisfamilias mihi tribuatur.

§. 19. Accedit, qui nullum habet forum, nullumque Judicem qui sententiam exequatur, etiam pœna nulla affici potest. Fora enim in Rebuspublic. exstantia, ad subditos spectant, omnemque vim à Majestate habent & mutuantur. Dices, Imperantes tamen ab aliquo in proprio foro se conveniri pati, e. g. super debitis & similibus causis; Resp. hoc non fieri, quasi forum hoc competens & se superius, cujusque potestate cogi possint, agnoscant; sed tantum ut, an actor prætensionem liquidè & justè probare possit, videant, & hoc facto ultrò obligationi satisfieri cupiunt.

cupiunt. Dicta hæc accipienda de pœna humana. Divinam pœnam Legum Naturalium transgressores non evitabunt, quamvis nonnunquam lento gradu ad vindictam sui providentia Divina procedat.

§. 20. Denique IV. dicitur *Summa*, quia major homini in hominem potestas competere nequit, quam ut hic ad istius nutum & arbitrium, vires bonaque sua ad commune bonum & salutem publicam conferre teneatur, ac juri vitæ ac necis subjiciatur.

§. 21. Additur in definitione esse Potestatem *liberam*, sc. talem quæ omnem coactionem respuit; perfecta enim non esset, si non ex animi sententia & absque impedimentis externis, omnia sua agere posset. *Rex nominetenus est, qui ex personæ necessitate adactus, habet magis quod sequatur, quam quod eligat.*

§. 22. Hinc etiam quia *Summa* & *Libera*, *Majestatem seu Principem Legibus solutum esse*, necesse est. *l.* 31. *ff.*

de LL. Summus quippe & liber is dici nequit, qui ſupra ſe hominem vel legem agnoſcit.

§. 23. Quomodo autèm effatum hoc intelligendum, in hoc non tantum JCti & Politici, ſed & Theologi non conveniunt. Optimè autem ex difficultate hac ſe expedire videntur, qui diſtinguunt inter ipſas Leges, nempe Divinas, Naturales, Gentium, Regni fundamentales, Civiles; & vim Legum *coactivam*, quæ in repugnantes exercetur, & *directivam*, quæ modum agendi univerſalem præſcribit. Ita ut ſecundum illam Principem *ſolutum* dicant; non verò ſecundum hanc. *Divinis* Principem obligari dubio caret. Hæc enim à Supremo Rege Regum, ad cujus nutum obediunt omnia elementa, latæ. Nec Deus Vicariis ſuis tantam videtur conceſſiſſe poteſtatem, ut obedientiam ſibi debitam remiſerit. vid. *Deuter.* 17. *verſ.* 18. 19. De *Naturalibus* item, utpote quæ divina quadam Pro-

videntia

videntia constitutæ §. 11. *I. de J. N. G. & C.* & à Deo cordibus nostris inscriptæ, *ad Rom.* 1. res expedita. Et harum legum respectu Princeps non consideratur ut Princeps, sed ut homo. Item *Legibus Juris Gentium*, quo conventiones & contractus introducti; in his enim secundum vulgatam Reg. Princeps utitur Jure communi. *Leges Fundamentales* itidem Principem obligant, his enim tanquam catena respubl. cohæret, suntque conspectus ipsius Status Publici ejusque connexionis. Et his Principem solvere, nihil aliud est, quam Regni jura & totum imperium convellere.

§. 24. Sequuntur *Leges humanæ* seu *Civiles*, quæ nihil aliud sunt, quam Majestatis decreta circa ea, quæ subditis ad salutem publicam observanda sunt; & his Princeps solutus. Summa enim Principis dignitas, summa virtus ita eum supra Subditos evexit, ut nulla possit inter eos esse juris humani Civilis communio. Et quia Majestas est

ſumma, à ſuperiori homine non poteſt injici obligatio. Nec *per modum legis i.e. ſuperioris, ſe obligare aliquis poteſt.*

§. 25. Verùm & hic differentia aliqua, inter Leges, quæ ſolennia Juris in actionibus civium obſervanda præſcribunt, & leges, quæ ad honeſtatem morum pertinent, & quarum materia & ratio eſt univerſalis, facienda. Adiaphoris illis civilibus, quæ divagantur à jure naturæ, ſolutus dici poteſt & eſt, tam quoad vim directivam, quam coactivam. Nec his obligari voluiſſe præſumitur, quippe quas ſubditis ſuper re, quæ indifferens in ſe eſt, dedit. Sic Solennitatibus matrimonialibus, ſolutus, ut trina proclamatione & cæteris non opus habeat. Jure Juſtinianeo donatio quingentos ſolidos excedens Principi facta ſine inſinuatione ſubſiſtit. *l. 34. C. de donat. Nov. 25. c. 2.* valet donatio pura ac ſimplex, quam Princeps facit uxori *l. 26. C. de donat. int. vir. & uxor.* Princeps poteſt per procuratorem hereditatem

reditarem acquirere *l.* 1. §. *fin. ff. de offic. proc. Cæs.* quod privato non licet. *l.* 90. *ff. de acq. hered.* Si Principi quid relictum, antequam verò dies legati cedat, moriatur, successori debetur. *l.* 56. *ff. de Legat.* 2. Testamentum Principi oblatum valet, licet nulla alia solennitas accesserit. *l.* 19. *C. de testam.* & quæ similia. Ratio hujus solutionis in eo, quia legis virtus in cogendo consistit. *l.* 7. *ff. de LL.* quis verò Principem cogere vult, cum nullum hisce in terris habeat superiorem?

§. 26. His verò Legibus, quarum materia & ratio est universalis, ultrò & sponte boni Imperantes ex pietate & amore erga Subditos, per *directivam obligationem*, seu potius per *reflexionem*, Grot. *lib.* 2. *cap.* 4. §. 12. *n.* 1. (ita ut Leges redundent in Legislatores suos, à quibus prodierunt,) se obligari permittunt: Edocti, id, quod publicè statuunt, contrariis actionibus impugnari non debere nec posse, ob inde oriun-

dam incertitudinem Status Publici. Rectè Plutarchus ait: *Quis igitur Principi Princeps erit? nempe Lex, quæ omnium regina est mortalium, & immortalium. Lex Principis Imperatrix erit: non illa quidem, ut in libris extrinsecus scripta, aut in tabulis: sed animata intus in ipso ratio, semper cum eo conversa, ejusdem obversatrix, quæque ejus animam nunquam sinit tutela sui esse vacuam.* Æquitati etiam naturali & decoro publico conveniens, ut quod in civibus ad salutem publicam utile esse judicat, ipse quoque servet, ne ita exemplo Principis subditi ad delinquendum impellantur; sed suo potius exemplo subditos ad servandas leges invitent; Regis enim ad exemplum totus componitur orbis. Graphicè hoc expressit *Nobiliss. Hennin. Orat. Inaug. Paneg.* Seren. Elect. Brand. Frider. III. consecrata, *pag.* 38. seq. *Est enim Principum ac Superiorum vita, cum Solis instar omnium oculis, linguis, calamis proponatur, nihil aliud,*

aliud, quam perpetua quadam censura ac linea, ad quam cives diriguntur. Et Plinius in Panegyr. Trajani Imp. *Flexiles*, inquit, *quamcunque in partem ducimur à Principe, atque ut ita dicam, sequaces sumus, huic enim cari, huic probati esse cupimus, quod frustra speraverunt dissimiles, eoque obsequii continuatione pervenimus, ut prope omnes unius moribus vivamus.* Et paulò post: *Nec tam imperio opus est, quam exemplo: quippe infidelis recti Magister est metus, melius homines exemplis docentur.*

§. 27. Huc pertinent *l.* 23. *ff. de legat.* 3. *l.* 4. *C. de LL. l.* 3. *C. de testam.* §. *ult. I. quib. mod. test. infirm.* Et has non de potestate Imperatoris, sed de officio illius agere, eruditè asserit Graswinckel. *de Jur. Majest. c.* 6. Legibus alligari, vivere secundum leges cum Majestatis natura non pugnat, sed subjici & obligari vinculo Juris.

§. 28. Aptè etiam quadrant, quæ *Guntherus Ligurin. lib.* 8. de Friderico Impe-

Imperatore canit:

Ipse quidem quamvis divino munere Princeps
Summus in orbe ferar, legumque immunis & expers;
Non servire quidem cogar, sed condere jura
Fas habeam, vestris cupio disponere cuncta
Consiliis: nostro non ægrè spondeo jussu,
Vel sancire novas, vel priscis legibus uti;
Nam nihil, ut verum fatear, magis esse decorum
Aut regale puto, quam legis jure solutum
Sponte tamẽ legi sese supponere Regem.

Quod & sapienter pariter ac eleganter ipse Rex Angliæ Jacob. Jur. Liber. Monarch. p. m. 101. docet: *Bonus Rex* (ait) *vitam omnem juxta Leges formabit, sed sponte sua, & ut subditis exemplo praeat, non quòd ipse legibus subditus aut adstrictus sit.*

§. 29. Antequam abeamus hinc, nescio

scio an absurditatis arguendi, qui rejectis adductis, circa solutionem legum, distinctionibus, exercitii forte gratia, statuunt, *Principem qua talem* (i. e. quatenus summus, & quasi extra omnem societatem) *indistinctè legibus etiam naturalibus esse solutum*. Sententiam talem, jam dudum fovit Bernhard. Sutholt. *Dissert. de Jurisdict. aphor.* 37. *& seq.* Ubi circa explicationem phrasis *solutum esse*, ait: aut enim significat, *non coërceri legibus*; aut *non agnoscere legem actionum suarum normam*. „Lex „enim cum regula est actionum dire-„ctrix, tum etiam vi pollet coërcitiva. „*Soto. lib.* 1. *qu.* 6. *art.* 7. *in pr.* Et po-„steriori significatu, Principem omni-„bus Legibus, etiam naturalibus, so-„lutum, dicit, cum nemo sit, qui in „hac terra Principem coërcere aut co-„gere possit: cum nemo sit eo superior, „neque per rerum naturam fieri pos-„sit, ut se quis ipse cogat: violenta e-„nim actio principium requirit exter-„num.

„num. *Pergit aphor.* 41. quod si solu-„tum dicis legibus eum, cui lex non „est posita actionum norma & dire-„ctrix, jam leges naturales secerno à ci-„vilibus seu positivis, atque his ajo „Principem solutum esse, illis non item.

§. 30. Certè Majestas omnem coactionem respuit, & ipsa coactio pugnat cum Majestate. Majestas quid sit, vix concipi, & proprietas rei vocabulis haud exprimi potest. De Principe non abs re dictum aliquando memini, & assimulatum à Doctore quondam meo, illud, quod in Sacra Scriptura de Melchisedek dicitur, quod habeat nec Patrem, nec Matrem, nec Legem, sed Deum solum supremum. Quod etiam claret exemplo Davidis, *Psalm.* 51. dicentis ad Deum: *Ego Tibi soli peccavi*, & proinde se aliis subesse negat, unde occasione hujus dicti Owenus Poëta *Lib.* 3. *Epigr.* 51. eleganter cecinit:

Subditus in Legem peccat, Regemque, Deumque:

Rex

Rex peccat soli (Rex quia nempe) Deo.

Idem animadvertit Tholosanus *de Republ. lib.* 8 *cap.* 3. §. 2. inquiens: „Quid „autem sit illa Majestas; non potest „facile exprimi proprietatem rei clare „sensibus insinuando. Est enim quip„piam latens, quod reddit præter na„turam propriam mirabile quippiam: „unde veneratio singularis & honor „nascitur, nec quale illud sit, possunt „ipsi admirantes notare aperte.

§. 31. Objicias (I.) quod objectum memini, Principem Deum habere superiorem, per consequens etiam legibus divinis obligari. Respond. Princeps respectu Dei non potest considerari, ut Princeps, sed ut homo; per consequens obligatur legibus, ut homo, abstracta persona Principis, non verò ut Princeps. Nec (II.) est, quod dicas, sententiam hanc Principibus libertatem licentius grassandi, Jura Divina & Naturalia violandi concedere.

Ne

Ne tibi hoc persuasum habeas: Talia si fecerint, gravioribus etiam pungentur conscientiæ stimulis, & vindictam Dei experientur graviorem.

§. 32. Nec exemptio hæc & libertas à pœnis humanis, in lucro aliquo aut privilegio Principum poni potest, ut prudenter monet Soto *de Justit. & Jur. lib.* 1. *quæst.* 6. *art.* 7. *concl.* 2. Subditi enim, ait, qui non solum leg s luce ducuntur, verum etiam ejus pœnis stimulantur, duobus subsidiis ad virtutem utuntur. Princeps autem altero destitutus est, dum nullus eum cogere possit, aut reprehendere, atque ita deteriori conditione utitur, quàm subditi. Consentientem allegare possum *Dn. Tesmarum*, *Doctorem olim meum*, *in Exerc. Jur. Rom. Univ.* 1. *posit.* 17.

§. 33. Additur porrò in definitione esse Potestatem *regendi*: quibus verbis Majestati Eminentia tribuitur. Est & vocabulum Imperantibus maximè conveniens, (ab aurigis quamvis desumptum)

ptum) instar enim aurigarum, qui equos currusque moderantur, Imperantes Regni s. Imperii habenas tenent, & in moderandis ac in officio continendis hominibus occupantur; Sic Virgil. Æneid. VI. *Tu regere Imperio Populos Romane memento, Hæ tibi erunt artes.* Ille etiam qui regit, semper est potior & superior eo, qui regitur. A vocabulo *administrandi*, quod nonnulli in definitione hac usurpant, abstinui; tum quod in jure nostro *administratorum* nomine fere illi veniant, qui alieno, non proprio, nomine agunt. Quo pertinent *tit. ff. de administr. tut. tit. de administr. rer. ad civit. pert. tit. C. de administr. rerumpubl.* tum etiam ne verba captandi ansa detur. Hinc etiam à Principibus discendam esse Politicam, patet. Qui enim aliis præesse vult, illum oportet rationes alios regendi scire.

§. 34. Quoad alii addunt definitioni, debere esse *perpetuam*, de eo *vid.* §. 14. intelligi etiam potest, quoad personam impe-

imperantem, eo, quod liberum non sit subditis, quem semel sibi elegerunt, pro arbitrio deinde repudiare, vel Majestate exuere, & alterius Jurisdictioni & Imperio se submittere. *Surdus decis.* 166. *n.* 9. *Pauermeister. de Jurisd. lib.* 1. *c.* 27. *n.* 43. Hinc Imperator Valentinianus militibus, qui illum in Imperatorem elegerant, postulantibus, quod ipsi non probabatur, respondit: *Ut me ad Imperatorem eligeretis, in vestra situm erat potestate, O Milites: at postquam elegistis, quod petitis, in meo est arbitrio, non vestro. Vobis tanquam subditis competit parere, mihi quæ facienda sunt cogitare.* Imo statum Reip. evertit, qui mutationem intendit. Omnis enim mutatio in Republica, tametsi in melius fiat, tamen in hoc mala est & periculosa, quod sine multis magnisque Reip. cladibus vix ulla in ea conversio seu mutatio fieri possit. In eo pro Cive bono habetur, qui præsentem reipub. statum mutari non vult.

§. 35. De-

§. 35. Denique *Subjectum Commune* sive *Materia* circa quam versatur Majestas seu Regimen Politicum sequitur. Et diximus hanc esse *Societatem Civilem* sive *Rempublicam*, quam aucto numero homines, uno quasi consensu ob spem universalis subsidii, quod singuli inde exspectant, inierunt. Conf. *dicta* §. 5. *hujus cap. Grot. lib.* 1. *cap.* 4. §. 7. *num.* 3.

§. 36. Subjectum *proprium* Majestatis i. e. quod Rempubl. repræsentat, in Successivis Regnis est *Familia Regnans*, cujus vices sustinet, qui primus est in Familia. In Regnis Electivis Princeps. Hinc an *Infantes & Furiosi ejus capaces sint, quæritur?* Aff. Quia nemo ob vitium naturæ jure suo privari potest. Nisi Lex aliter velit. Jure *habendi* gaudent, non verò jure *utendi*, quia fine careret; nulli enim usui esset exercitium summæ potestatis infantibus vel furiosis concessum, adeoque si ipsis permitteretur, vana foret actio. *Grot. lib.* 2. *c.* 3.

c. 3. §. 6. *Dn. Becman. Conspect. Doctrin. Polit. c.* 14. Et de hoc verum est, quod Metius Falconius Nicomachus in Senatu Romano dixit: *Dii avertant Principes pueros, & Patres Patriæ dici Impuberes, & quibus ad subscribendum Magistri Literarii manus teneant: Quos ad consulatus dandos dulcia & circuli & quæcunque voluptas puerilis invitant.* De Tutoribus & Dictatoribus Romanis actum §. 14. & 15.

§. 37. Quid dicendum de *Rebuspubl. Liberis?* Majestatem habere non dubito. Alterius enim juri non subsunt. Facultas item exercendi universa jura Reipubl. adest. *Grot. l.* 2. *c.* 24. §. 6. Oppon. (1.) quod *Majestas sit indivisibilis*, in Republ. verò Libera dividatur. (2.) *Majestatem à solo Deo esse.* Quod primum attinet, respond. Rempublicam considerari, ut Personam Moralem, & huic inhærere Majestatem, sicque manere indivisam. Singula enim membra hic concurrunt ad constituendum aliquod

quod totum ſeu corpus. Nec alteram, *Deum eſſe cauſam Majeſtatis negamus*, de eo certi; Deum tamen ſpeciali & univerſali influxu, cauſis ſecundis i. e. Populo, quod ipſorum eſt, relinquere. *Vid. quæ* §. 4. *&* 5. *de orig. Maj. diximus.* Confirmat ſententiam hanc monitum illud Grotianum *l.* 1. *c.* 3. §. 17. *Quanquam Summum Imperium unum quiddam ſit, ac per ſe indiviſum, fieri tamen interdum, ut à pluribus ſuſtineatur:* quod & in Rebusp. Liberis dicto modo patet; Proceres enim univerſi ſimul ſuſtinent Summam Poteſtatem ſeu Majeſtatem. Et tale fuit Imperium Romanum vetus, ſub Triumviris Octavio, Antonio, Lepido; ſub Divis Fratribus, ſub Diocletiano & Maximiniano. Sub tribus Conſtantini M. filiis, Conſtante, Conſtantio & Conſtantino. *Rachel. Introd. ad jus Publ. c.* 15. *p. m.* 140. Item Theodoſii M. filiis Arcadio & Honorio. Sub Valentiniano & Valente. Et exemplum hujus Imperii recentiſſi-

mum in hodiernis Russiæ Czariis Johanne & Petro, quorum amborum nomine omnia geruntur. *conf. Rumelin. ad A. B. p. 3. diss. 2. §. 25. & ibid. Myler. in addit.*

§. 38. *An Vasallus Feudi Illustris habet Majestatem?* e. g. Rex Hispaniarum respectu Regni Neapolitani, quod feudum est Sedis Romanæ, cujus nomine quotannis Pontifici mittuntur 7000. Ducati, & equa alba, die SS. Petri & Pauli. Resp. cum Grot. *aliud esse rem, aliud rem habendi modum. lib. 1. c. 3. §. 11. n. 1.* Regnum ipsum plene habet & cum Summa Potestate, modus verò habendi variat. Seu distinguenda Origo Imperii ab ipso Imperio: Origo Imperii aliunde; ipsum Imperium verò summum esse potest. Obligatio hæc personalis, longe distat ab obligatione, quæ personam subditi stringit; Subditus obligatur simpliciter ut Subditus, Vasallus ratione rei in feudum concessæ. Subditus ad omnia licita;

Vasal-

Vasallus ad ea tantum, quæ natura & conditio feudalis exigit. *D. Struv. Synt. Jur. Feud. cap.* 8. *n.* 8. 9. Mittit etiam Rex Hisp. dictam annuam præstationem Pontifici in recognitionem originis, non superioritatis. Alii die SS. Petri & Pauli mitti, quasi sit Vasallus SS. Petri & Pauli, ajunt.

§. 39. *Inæquali fœdere conjunctus* Majestatem quidem retinet; sub patrocinio enim, non sub clientela aut ditione alterius est, nec Majestas hinc imminuitur. Verum infirmitatis confessio quæ concurrit, de dignitate aliquid delibat, & inæqualis confœderatio talis subjectioni est proxima: inæqualis enim non audet potentiorem suum fœderatum offendere, hoc enim si faciat, paratum erit bellum, & mox subjugabitur. *Grot. de J. B. & P. lib.* 1. *cap.* 3. §. 21. *Ziegler. de J. M. lib.* 1. *c.* 1. §. 53.

§. 40. Porro Majestati ejusque summitati non adversantur donativa illa, quæ à Paribus ad Pares mittuntur ad

redimendas injurias, qualia fuere donativa Ferdinandi I. ad Imperatorem Turcicum, pro Hungaria; Polonorum ad Tartaros; Imperatoris Turcici ad Arabes. Quos Tributarios ideo dicere fas non est; quanquam & hic infirmitatis confessio de dignitate aliquid delibet.

§. 41. *An Capitulationes, Pacta, item juramentum servandarum Pactionum derogent Majestati, agitata est quæstio:* Decisio dependet ex eo, quod Grotius *lib.* 1. *cap.* 3. §. 16. tradit: *Non desinere summum esse Imperium, etiamsi qui Imperaturus est, promittat aliqua subditis, etiam quæ ad Imperii rationem pertinent,* & ad quæ sine promissione non teneretur. Sic Rex promittere potest salva Majestate, se bellum, pacem, fœdera, inconsultis Ordinibus non susceptu-rum, ad exemplum mariti, qui aliqua uxori promittere potest, quæ ad Imperii rationem pertinent, e. g. de non mutando domicilio, de mutando vitæ

statu;

ſtatu; ſe juri, vel mercaturæ operam daturum, uti exempla hujusmodi eximia exſtant: Non verò promittere poteſt, ſe ipſi obediturum; hoc enim eſſet imperium uxori cedere & evertere. Priora verò licet Imperium reſtringant, non tamen evertunt. Pro exemplo allegari poſſet Imperium Romano-Germanicum, ubi Publiciſtæ quærunt, *An Capitulatio deroget Majeſtati Imperatoris?* Alii hoc affirmant, alii negant. vid. *Lampad. de Rep. Rom. Germ. part.* 3. *c.* 2. §. 12. *Schvveder. Jur. Publ. part. gen. cap.* 2. §. 19. *ſeq. Clariſſ. Dn. Vitriarius Inſt. Jur. Publ. lib.* 2. *tit.* 7. §. 5. *Stamler. de Reſervat. Imp.* §. 8. *Limnæus in append. ad l.* 1. *c.* 12. *n.* 36. *tom.* 5. *Jur. publ. Becker. Synopſ. Jur. Publ. l.* 2. *c.* 3. §. 17. *& Henning. in Annot. ad h. l. Rumel. ad A. B. p.* 1. *diſſ.* 3. *th.* 18. *Myler. in addit.* Strauchius *Diſſ. Jur. Publ. diſſert.* 4. §. *ult.* plenitudini, non verò Summitati Imperatoris derogare ait, cum Superior in Imperio Imperatore

 nemo

nemo ſit. Nos cum Dn. Zieglero *ad Grot. l.* 1. *cap.* 3. §. 16. non neceſſe eſſe putamus, ut uni aut alteri calculum adjiciamus, præſertim cùm Imperii Status purè Monarchicus non ſit, ſed ex Monarchia & Ariſtocratia mixtus, & multum limitata Imperatoris Majeſtas. *conf. cap.* 24. §. 6.

§. 42. Juramentum tempore Inaugurationis præſtandum Majeſtatem minimè tollit, deſtruit vel minuit, ſed in *præmunimentum nexus publici* intervenit, ut ſocietatis membra metu iræ & vindictæ divinæ in ordinem redigantur, & ut Princeps limites officii contra juramentum transgrediens, non humanam ſed divinam incurrat vindictam. *conf. Exercit. noſtr. de Lege Minitante.* Et ſi juramenti præſtatio aliquid detraheret, quid dicendum foret de Regibus Hiſpaniæ, Angliæ, Galliæ, Hungariæ, Bohemiæ, Daniæ, Poloniæ, Succiæ &c. quos omnes in Leges Regni fundamentales jurare conſtat?

ſtat? quorum juramentorum formulas congeſſit Althuſ. *Polit. c.* 19. *n.* 43. *& ſeq.* Ipſe Veſpaſianus in roſtris juravit, & religione ſe Legibus ſubjecit, & quis huic Majeſtatem adimeret?

§. 43. Sed an nulli Imperantium, poſſunt dici habere Majeſtatem, niſi etiam habeant *Titulum Majeſtatis?* Ita ſentiunt, qui Majeſtatis naturam ignorant, & *ambiguo nominis ſono, externarum rerum ſpecie decipiuntur.* Omnis enim, qui habet Summam & Liberam Poteſtatem, habet etiam Majeſtatem, licet à titulo Majeſtatis ob majorem ſplendorem, & quod veluti abſtractum ſit in Perſonis Regum, abſtineat. Quis ergo neget, Potentiſſimo *Electori BRANDENBURGICO* Majeſtatem veram, reſpectu *Boruſſiæ*, ratione cujus ſalutatur *Supremus Dux*, jure & rectiſſimè, (licet ex modeſtia Titulum recuſet) adſcribi & tribui poſſe? Profectò nemo, qui ad ingenii ſui trutinam & ſine ſtudio partium, rem

 ponde-

ponderaverit. Ignarus inspiciat Transactionem Velaviensem *art. IV.* hac enim Divo FRIDERICO WILHELMO MAGNO August. Elect. Brandenb. Prussia Ducalis, quæ antea Feudum Poloniæ, cum Supremo & Absoluto ejus Imperio, cessa. Missilia tum temporis in vulgum ejecta cum hac inscriptione: *Supremo Prussiæ Domino FRIDERICO VVILHELMO, Principi, Elect. Brandenb. Homag. præst. die* 18. *Octobr. Anno* 1663. ab una parte. Et altera manus è nubibus coronam repræsentans, his verbis: *à Deo data.* In medio verò Gladius cum Sceptro decussatim per lauream, cinctus sequentibus: *Pro Deo & Populo*, conspiciebantur. Monetam hinc etiam videmus in qua Seren. Electoris caput laurea cinctum, quo ipso nihil aliud quam Majestas ipsius, & quod coronatum sit caput, indigitatur. Vid. *Diar. Europ. contin.* 9. *ad An.* 1663. *Jac. VVilh. im Hoff. Notit. Procer. Imp. lib.* 2. *cap.* 8. §. 9.

§. 9. *& plurib. Oration. nostram Inaugural. de Majestate Brandenburgica.* Simile judicium ferendum de PP. Fœderati Belgii Ordinibus, *conf.* §. 37. Duce Venetorum, Magno Duce Thusciæ, qui omnes Summam Potestatem habent, à titulo verò Majestatis abstinent.

§. 44. Quo in loco habenda *Superioritas Territorialis*, die Landes-Fürstliche Obrigkeit / Landes Hoheit / und Herrlichkeit / quæ tribuitur Principibus Imperii Romano-Germanici? Resp. Quamvis hanc à Summa Potestate aut Majestate distinguere debeamus; effecta tamen Juris eadem, quæ Majestas habet, habere, nemò diffiteri potest. Unde & Brocardicum hoc: *Quod quilibet Princeps Imperii in suo territorio tantum possit, quantum Imperator in Imperio*, verum esse: (1.) *Quoad Jurisdictionem territorialem*, habito respectu ad subditos. Imperii enim Status, non amplius, ut administratores aut gubernatores præsunt, sed ferè ut Reges,

regalia omnia tam majora, quam minora habent, ita ut, quod in absolutis Regnis Majestas, in Statibus Imperii Jus territoriale quodammodo permittat. (2.) *Quoad Dignitatem Personarum*, quod ratione Dignitatis & Illustris originis Electores ac Principes Imperii, parum aut nihil ab Imperatore differant in suis territoriis, nisi ambitus ratione. (3.) *Quoad Imperii administrationem*, quod Principes & Status Imperii in consortium admissi, jus habeant una cum Imperatore, tanquam Optimates, in Comitiis Publicis, de Imperio statuendi, tradit Mylerus ab Ehrenbach *de Pr. & Stat. Imper. part.* 1. *cap.* 14. §. 11. *& seqq.* conf. *Lampad. de Rep. R. G. lib.* 3. *c.* 3. *n.* 7. 19. 20. Ut verò Imperatori Imperatoria Superioritas salva maneat, hinc Principibus Imperii, ratione potestatis, quæ *ἀντικρατείας* speciem refert, in suis Territoriis Majestatem non propriè dictam sed analogam quandam adscribunt

Ziegler.

Ziegler. de Jur. Majest. l. 1. cap. 28. §. 9. & 25. it. c. 34. §. 37. D. Struv. S. J. F. cap. 6. §. 13. n. 2.

§. 45. Sequitur vulgaris divisio Majestatis in *Realem* & *Personalem*. *Realis* dicitur, quæ Reip. perpetuo inhæret, nec morte Imperantium exspirat, sed quamdiu corpus Regni durat, permanet. *Personalis* vocatur, quæ Imperantis Personam respicit, in quem collata, & cum eadem exspirat. Meritò verò ab accuratioribus Politicis rejicitur: & plerumque ita Majestatem Personalem reali subjiciunt, ut ab ea dependeat, ipsi obnoxia sit, ab ea fluat, & veluti Luna à Sole omnem splendorem mutuetur. Et fundamentaliter dicunt esse penes populum, formaliter penes Imperantes. Duo verò Summa hoc casu in Republ. existunt, & biceps formatur Respublica. Imò Populum Rege faciunt superiorem, ex quo non nisi absurda sequi possunt. Vid. *Dn. de Pufendorff. de J. N. & G. lib. 7. cap. 7. §. 4.*

Ziegler. d. Tr. l. 1. c. 1. §. 44. Alio sensu illam tolerat *Celeb. Dn. Becman. Medit. Polit. c. 12. §. 11. & Cl. Dn. Collega Pagenstecher, Doctor olim meus, Sciagr. Instit. Polit. lib. 3. tit. 2.* §. 2. Distinctio illa Majestatis in *Absolutam* & *Limitatam* vana est. Limitata enim nulla, quia recognoscit superiorem, à quo limites accipit, adeoque independens non est, quod cum natura Majestatis pugnat.

§. 46. Quamvis Majestatis Potestas tam latè pateat, quam se ejus Imperium, officium & cura extendit, quæ in eo primariò consistit, ut omnia in Republ. ad finem propositum, salutem nim. publicam s. civium dirigantur. Hanc tamen Potestatem, cum pro diversitate objecti non uno modo exserat, hinc certa quædam jura, Majestati tribuuntur, quæ illam immediatè concomitantur, nihilque aliud sunt, quam exercitia summæ potestatis, pro diversitate rerum in Republ. occurrentium, & vulgo dicuntur *Regalia* seu *Jura Majestatis*.

§. 47. Ad

§. 47. Ad Tria capita revocari hæc possunt: *Potestatem Leges condendi*, *Magistratus constituendi*, & *Bellum indicendi*. Et tam latè hæc tria patent, ut quamplurima alia Regalia huc reduci possint. Certa sunt Summæ Potestatis γνωρίσματα, in quibus quam maximè sita. Numerum verò horum Jurium Majestatis in actu signato determinare, non parum erit difficile, præsertim cum Lege Positiva, Usu & Consuetudine induci possit, ut jura, quæ olim regalia non fuerunt, regalibus hodiè annumerentur, & contra. *Rosenthal. de Feud. c.* 5. *conclus.* 94. *n.* 1. *Grot. de J. B. & P. lib.* 1. *c.* 3. §. 6.

§. 48. Alium non inelegantem Regalium conspectum exhibet Dn. Zieglerus *ad Grot. all. loc.* Majestatem considerans vel *in respectu ad Subditos*, vel *in respectu ad Pares*. Hæc dicit, quorum vi Princeps cum Principe agere & contrahere potest. Et talia ipsi sunt, *Jus Belli & Pacis*, *jus Fœderis sanciendi*, *jus*

Legatorum mittendorum, & quæ similia Illa; quæ respectu ad subditos competunt, & limites Imperii non egrediuntur, sunt *Jus Vectigalium*, *Jus Legum ferendarum*, *Magistratuum creandorum*, *Comitiorum*, *extremæ provocationis &c.*

§. 49. Vulgò dividunt Regalia in *Majora* & *Minora*. *Majora* dicunt, quæ gubernationem ipsumque Reip. Statum concernunt, qualia *Potestas Legislatoria*, *Constituendi Magistratus*, *jus circa Sacra*, *jus Belli & Pacis ac Fœderum*, *jus extremæ Provocationis &c.* Dicuntur *Personalia*, eo, quod Personæ & quasi ossibus Principum adhæreant. Et separari à Majestate, aut præscribi à privatis non possunt. *Minora*, commoda & emolumenta, quæ ex bonis publicis vel alias ratione Imperii aut territorii, ab eo, qui summam in illo habet potestatem, percipiuntur. Vocantur etiam *Jura Fisci* seu *Fiscalia*. Et sunt *jus imponendi Tributa*, *jus perci-*

piendi

piendi commoda ex mari ac fluminibus publicis, jus Viarum publicarum, Vectigalium, &c. præsupponunt potestatem aliquam in possessiones & bona privatorum; hæcque facilius communicari cum aliis possunt. *Vid. plur. Sixtin. de Regal. lib. 1. c. 2. n. 2. Dn. Struvius de Feud. c. 6. §. 13. usque ad fin. Ziegler. lib. 1. cap. 3.*

§. 50. In Imperio Romano-Germanico, Regalia in *Reservata* & *Communicata* dividuntur. illa dicuntur, quæ Soli Imperatori competunt in toto Imperio: Hæc, quæ ipsi Imperatori communia sunt cum Electoribus, & quæ sine illorum præscitu exercere non potest. *Celeb. Dn. Vitriarius Inst. J. P. lib. 3. tit. 2. & 3. Schvveder. part. Spec. sect. 1. c. 4. §. 3. 7. & seq. Dn. Rhetius Inst. Jur. Publ. lib. 2. tit. 25. Becker. S. J. Publ. lib. 2. cap. 4. §. 4. & seq.*

§. 51. Cum Principes, nautarum instar, sese fluctibus Reipubl. accommodare necesse habeant, adeoque non

semper

ſemper Reip. navim ſecundum ordinariam poteſtatem & regulam, niſi illam ſuffocari & naufragium pati velint, dirigere poſſint ac debeant: hinc eſt, quod præter Poteſtatem *Ordinariam*, qua conſueti Reipubl. caſus comprehenduntur, aliqua *Abſoluta*, ad extraordinarios i. e. Legum vi dijudicari haud aptos caſus, ſe extendente Poteſtate, qua in Reipubl. tempeſtatibus, fluctibus & neceſſitatibus uti poſſunt, inſtructi ſint: quæ communi vocabulo dicitur *Dominium Eminens*. Et vi hujus, quod eſt Poteſtas in Reip. neceſſitatibus, à neceſſitate limites accipiens, Leges Civiles negligere & diſpenſare, Jus Naturæ & Gentium limitare & determinare poteſt. Egeſtati enim ſingulorum ac defectibus Reipubl. aliter conſulere nequit.

§. 52. Ad actus verò per ſe malos extendi non poteſt; hi enim nullo caſu neceſſitatis boni fieri poſſunt. Nec abſoluta hæc poteſtas, pro licentia

quidvis

quidvis impunè faciendi accipienda. Non ergo sine causa i. e. Reipubl. necessitate hoc non suadente, Civibus res suas eripere potest. Princeps enim non publicum tantum, sed & privatum cujusque bonum procurare, non intervertere debet. Nam uti legitimum quis habet quæsitum dominium, aut aliud jus, id ne ei auferatur, Juris naturalis est, ita hoc & Principem obligat. *Struv. S. J. F. c.* 5. §. 6. *Sutholt. Diss. de Jurisdict.* §. 76. Damnatur itaque exemplum Achabi Nabotho vineam eripientis 1. *Reg.* 21. eo, quod nulla necessitas publica aderat. Excusari autem hac necessitate solent à nonnullis, hodierni processus Regis Galliæ inquirendi in vasa aurea & argentea singularum Ecclesiarum, & opes Subditorum ob intercedentem necessitatem publicam. *Vid. pl. Diss. nostra Inaug. cap.* 3. §. 12. *& seq.*

§. 53. Reipublicæ fluctibus compositis, & discussis necessitatum nubibus,

jura

jura pristina resurgunt, & dicta potestas cessat. Necessitas enim Reipublic. non tollit legem vel dominium, sed tegit. *Dn. Pufendorf. de J. N. & G. lib. 8. c. 5. §. 7.*

§. 54. Illustrem & arduam hanc Quæstionem addere necessum duximus: *An* nim. *Princeps in alieno territorio existens, ex charactere Majestatis, liberum Jurisdictionis exercitium in comites suos vel ministros habeat, seu exercere possit?* Si secundum rigorem juris, quæstio negativè decidenda. Eo quod Principis potestas intra territorii sui fines inclusa, ita ut extra terminos omninò desinat, adeoque extra eos fines Princeps privatus sit, & potestatem in alios exercere non possit, *arg. l. ult. ff. de offic. præf. urb. l. fin. ff. de Jurisdict. l. 53. C. de Decur.* Vice versa verò alterius territorii Princeps, in omnibus, quæ ejus limitibus continentur, fundatam habet potestatem, *arg. l. 1. §. 1. ff. de offic. Præf. Urb. l. 17. ff. de act. empt. vend.* Gail.

Gail. lib. 2. *obſ.* 62. Sicque etiam in Principes, qui in eo morantur. quod ex eo lucem accipit, ſi conſideremus, Principem, ne quidem in ſuo territorio, ſubditum ſuum ex alieno territorio abducere vel citare, imò nec miſſis apparitoribus occidere poſſe, ſed ſi tale quid fieri permittat vel jubeat, id pro immani violatione & turbatione Jurisdictionis territorii habeatur, *Gail. de Pace publ. c.* 16. *n.* 27. *& ſeq. Knichen. de jure territor. t.* 4. *n.* 27. Jam ergo, ſi Princeps, in proprio territorio exiſtens, in quo ſummam poteſtatem habet, non poteſt actum Jurisdictionis in alieno territorio exercere, multo minus id poterit ipſe exiſtens in alieno, in quo nihil juris habet. Deinde etiam Majeſtas parem in ſuo territorio non agnoſcit, ſed omnes ſunt ſubditi. involans in alterius exercitium ſummæ poteſtatis, ipſam Principis Majeſtatem violat, & in dubium vocat. Nec obſtabit, Principem talem ſubditum

non

non fieri, eo quod in ſubdito includatur obedientia, quæ hic locum non inveniat, cum deſit animus ad ſerviendum. Nam licet, in hac formali ratione *Subditus* dici non poſſit, nec ſit, eatenus tamen ut *Subditus* conſiderari poteſt, eo quod parem ille Princeps in territorio ſuo, & exercitio Jurisdictionis non agnoſcat.

§. 55. Si verò, quid ex decoro & honeſto fieri debeat, quæratur, omninò è dignitate Summorum Principum erit, ut ultrò & quidem in venerationem principalis faſtigii, Principibus peregrinis & hoſpitibus indulgeant exercitium Jurium Majeſtatis, quæ cum Dominio territorii unquam ſunt compatibilia; & ſic potius hoſpitalitatis comitatisque officiis, quam rigidæ poteſtatis exercitio in eos affectato certent. Hinc inter Majeſtatis præcepta è Politicis refertur, quod *qui tueri Majeſtatem volunt, in aliis eam lædi ne permittant*. Lædere enim illam in aliis,

eſt

est dare exemplum ejus rei, quæ postea nobis nocitura est. *Boxhornius Inst. Polit. lib.* 1. *c.* 4. *in explanat. p.* 34. Si quis itaque Regem captivum occiderit, vel alia ratione dignitatem ejus læserit, ostendit Reges quoque occidi & in dignitatis fastigio lædi posse. Maximè inde Elisabethæ Angliæ Reginæ exprobratum, quod Mariam Scotiæ Reginam ultimo supplicio affecerit, & hoc argumento Oratorem Gallicum ad dissuadendam ejus mortem usum fuisse ferunt. Nulla enim re gravius læditur Majestas, quam si legibus & sententiæ Judicum subjiciatur. Inter illustria hujus rei exempla, instar omnium sit, quod tradit Priolus *Hist. Gall. l.* 9. *c.* 14. de Christina Sueciæ Regina, quæ à Rege Galliæ hospitali Palatio excepta, ibidem aliquem è domesticis, stabuli Præfectum, facta criminum exprobratione, non attenta facta ad Regem appellatione, interfici jussit. *Vid. ex profess. argum. hoc tract. Dn. Tesmarum*

in

in Differt. de Tribunal. Princip. Peregrin. conf. Magn. Dn. Strykius Doctor meus Diff. de Jur. Princip. extra territ. cap. 1. n. 5. & seq.

§. 56. Majeſtati adverſatur *Crimen læſæ Majeſtatis*, i. e. fraudulenta machinatio adverſus vitam Principis vel Statum Reipubl. Duas habet ſpecies *Crimen Perduellionis*, & *Crimen læſæ Majeſtatis in ſpecie ſic dictum*. Illud dicitur, quando quis hoſtilia adverſus Rempubl. vel Principem tentaverit; v. g. ſi quis ad partes hoſtium tranſeat, ſeditionem in Republica excitet, ſimilia & plura exempla referuntur in *l.* 1. 3. & 4. *ff. ad L. Jul. Majeſtat.* ad quas *vid. eleg. Tract. Anton. Matthæi de Crimin. Tit. de læſ. Majeſt.* Hoc committitur, ſi ea, quæ Majeſtatis ſunt, quis violat, ſibique arrogat, adulteram monetam cudendo, vel privati carceris cuſtodiam exercendo, *l. un. C. de Privat. carcer. & l. 2. C. de falſ. monet.* Olim etiam ſi Statuas Imperatori conſecra-

tas

tas quis conflaviſſet. *l. 6. ff. ad L. Jul. Majeſt.*

§. 57. *An maledicens Principi committit crimen læſæ Majeſtatis?* Propriè loquendo, non committit, niſi verba cum factis conjungantur, & animo lædendi ſint prolata: Data verò hac de re Lex Populo Iſraëlitico à Supremo Legislatore Deo T. O. M. *Exod. 22. v. 28. Diis non maledices, & Principi in populo tuo non maledices*, & *Jobi 34. v. 18. An licet dicere Regi, tu es iniquus, & Principibus, vos eſtis impii?* Sunt delicta hujusmodi atrociſſima quandoque pœna vindicata, *vid. Sueton. in Tiber. c. 58. & in Nerone c. 32. Tacit. l. 1. Annal. cap. 72.* Nec ſine ratione, cum Princeps omnem ſui contemptum, ſemper & ubique ſedulò vitare debeat, nec ullibi magis lædatur Majeſtas, quam in animis & ore Subditorum minuatur, aut interimatur exiſtimatio.

§. 58. Theodoſius, Arcadius & Honorius Imperatores convitia ſibi dicta, (niſi

(nisi seditiosa fortè fuerint, aut turbulenta, *l.* 1. *in f. ff. ad L. Jul. Maj. l.* 28. *§.* 3. *ff. de pœn.*) puniri à Magistratibus inferioribus noluerunt, sed sibi solis de iis cognitionem reservarunt in *l. un. C. si quis Imper. maledix.* Non quasi Lex Julia Majestatis, quatenus de Maledictis agit, nulla & sublata esse debeat, sed quod ipsi deinceps facultatem Judicandi, vindicandum an contemnendum maledictum, sibi reservaverint.

§. 59. Committitur crimen hoc in omnes, qui habent Majestatem, quod & criminis hujus nomen innuit, per consequens non illum, qui nulla Majestate pollet. Hinc igitur in Imperio Rom. Germ. in Imperatorem tale crimen committi, ad unum ferè omnes concedunt. De Augusta dissentiunt, eo quod tantum fulgeat dignitate Mariti Imperatoris. *vid. Limnæus lib.* 2. *Jur. Publ. c.* 14. *Clariss. Dn. Vuriarius I. J. P. lib.* 3. *tit.* 17. *§.* 10. *Dn. Pagenstech. Sciagraph. I. Polit. lib.* 3. *tit.* 28. Idem

etiam

etiam negant de Rege Romanorum, vivo adhuc Imperatore electo. *Carpzov. disp. feud. 9. quæst.* 2. Cum, licet comitia aliquando ab eo indicta inveniantur, maximæque potestatis argumenta passim sint obvia; ista tamen partim ex concessione Imperatoris, partim etiam non proprio nomine gesta deprehendantur.

§. 60. Sed quid dicendum de Principibus Germaniæ & Statibus Imperii? De Electoribus nullum dubium. Committi enim in eos Crimen læsæ Majestatis, expressè sancitum in A. B. *cap.* 24. *pr.* quo ipso Carolum IV. nihil aliud egisse patet, quam quod L. quisquis. *C. ad L. Jul. Majest.* Electoribus applicaverit, quam & ita applicare ipsa jubet Electorum conditio. Sunt enim pars Corporis Imperatoris. *d. c.* 24. A. B. Palmites Imperiales, & propinquiora Imperii Membra, Candelabra Lucentia, quibus in unitate Spiritus Sacrum illuminatur Imperium, solidæ

G bases

basés Imperii, *A. B. proœm. c.* 2. §. 5. *& Capit. Leopold. art.* 46. *pr.*

§. 61. An dicta L. quisquis 5. *C. ad L. J. M.* etiam in aliis Principibus Imperii locum habeat, DD. non conveniunt: Quatuor diversas opiniones exhibet ipse dissentiens Fachinæus *lib.* 9. *Controv.* 32. *conf. Ant. Matth. de Crimin. tit. Læs. Maj. c.* 1. *n.* 4. Missis his opinionibus, ex hoc capite Crimen læsæ Majestatis, in eos committi posse, dicemus, quia de Majestate Imperii Romani participant. Mixtum enim esse Imperii Statum, negari nequit. Summam enim Potestatem, sive τὸ κύριον, non penes Imperatorem tantum, nec penes Status Imperii tantum esse, sed penes utrosque collective sumptos, & hinc Principes non minimam Majestatis partem habere, lippis & tonsoribus notum. hinc non ex fictitia aliqua aut communicata Majestate, (uti Consiliarii,) Principes eminent, sed jure quodam suo, ex propria persona. *Bachov.*

chov. ad Treutl. vol. I. *disp.* 3. *th.* 6. *lit.E.* & *disp.* 23. *thes.* 1. *C. Carpzov. Pract. Crim. p.* 1. *quæst.* 41. *n.* 59. *seq.*

§. 62. In Consiliarios Imperatoris crimen hoc quoque committi, docet *d. L. quisquis.* ex fictitia illa Majestatis ex corpore Imperatoris proveniente communione; & ut Officiarii hac ratione in tuto collocarentur, mille alias periculis expositi.

§. 63. Pœnæ huic crimini assignantur gravissimæ, quia cum homine tali non tanquam subdito, sed hoste proceditur, in quem quidvis licet. Ad Liberos etiam extenditur; qui, quia hæreditarii criminis metuuntur exempla, paterno etiam debent perire supplicio, A. B. *c.* 24. §. 1. & ut deleatur omnis ac damnetur memoria, domus etiam diruuntur. Reciprocè ad Parentes, uti in causa Ravaillaci in Gallia, Parentes enim jubebantur Regno excedere. Sciens & non revelans, delictum hoc commissum iri, ipse quoque tanquam Ma-

jeſtatis reus punitur, ob magnitudinem periculi. Et is, qui reticet, quod reticere non debet, auctori facti æquiparatur. *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 17. §. 2.* Exemplum in Juniore Thuano, qui ob conſcientiam cædis Cardin. Richelio intentatæ punitus. *vid. plur. noſtr. Exercit. de Lege Minitante. §. 5. & ſeqq.*

§. 64. Denique *an Criminis hujus compertus citra ſtrepitum forenſem & non auditus interfici poſſit?* Recedendum hic à Regula Juris Civilis, de defenſione nemini auferenda, ita ut ne quidem à Principe ex plenitudine poteſtatis denegari poſſit. At pro affirmativa militat, celeritatis neceſſitas, & crimen plane manifeſtum, notoriumque, & quod periculum creat Reipubl. ſi per ſolennem judiciorum ordinem ventiletur & diſcutiatur. Exemplum inſtar omnium noſtri ſæculi ſit cædes Wallenſteinii Ducis Exercitus Cæſaris. *Dn. Teſmar. vol. Diſſ. Academ. 1. diſſ. 4. p. 160. & ſeq.*

CAPUT IX.

CAPUT IX.

De Legibus.

§. 1.

Ex natura Majestatis & Summi Imperii fluit *Potestas Legislatoria*. Imperare enim nequit Majestas, nisi per Legem universalem, totam Remp. & omnes in ea subditos obligantem. Per Leges Summa Potestas se exserit. Leges coagulum sunt societatis humanæ, & si demere has velis, cyclopica confusio & turba, ubi nemo audit neminem, non perfecta hominum societas erit. *Lex in Civitate est, ut mens in corpore humano, & ea sublata civitas amplius non est.* Grot. *lib.* 3. *c.* 3. §. 2. *n.* 2.

§. 2. *Leges* nobis hic sunt, *Regulæ humanarum actionum à Majestate præscriptæ.* Hinc fluit ad Potestatem Legislatoriam non pertinere *Leges Naturales*, *Divinas*, *Gentium* & *Regni fundamentales.* De *Divinis* res clara, quia

ipsa Majestas his subjecta est, & potestatem legislatoriam totam excedunt. *Naturales* ideò extra sphæram Imperii humani, quia per se nihil aliud sunt, quam jura cordibus hominum à Deo inscripta. *Rom.* 1. Nonnunquam tamen aliquid addi vel detrahi jubet Reipub. Status s. civium conditio. *l. 6. ff. de J. & J.* Et *Jus Gentium* ideò, quia non ex Majestatis aliqua jussione universali, sed ex tacito populorum consensu originem traxit. Denique *Fundamentales*, quia pacta & conventiones verius dici possunt, quam leges. Discrimen legis à pacto, eleganter ostendit Hobbes *de Cive. cap.* 14.

§. 3. Causa impulsiva Legum est, tum amor Justitiæ administrandæ, tum etiam vitia humana. Ex malis enim moribus bonæ fiunt leges. congrue hanc in rem Cato apud *Liv. lib.* 34. *c.* 4. *Sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum; sic cupiditates prius natæ sunt, quam leges, quæ iis modum facerent.*

§. 4. Re-

§. 4. Requiritur in genere in Legibus (1.) *Rationabilitas*, unde rationem JCti *animam legis* vocant. Non tamen necesse est, ut ratio legis omnibus constet, ob abusus metum. Imò legem ob rationem semper respicere, in subditis periculum foret, ob intellectus imbecillitatem; dum enim conarentur rationi legum satisfacere, ipsam legem plurimùm spernerent. Sic Salomon credidit rationi legis, de non ducendis uxoribus peregrinis, se satisfacere, sed ipsam legem sustulit, in Idololatriam prolapsus. (2.) *Justitia*, injustæ vero sunt, quæ contra rectam rationem sunt. In quarum numero habentur, Lex de bonis naufragorum occupandis; (quod jus vulgò das FahrRecht / Strand-Recht vocant) lucrum enim ita captatur ex calamitate aliena. *Vid. Schottel. de S. & A.G. J. cap.* 20. Et, quod olim etiam in multis Germaniæ locis obtinuit, *Jus Caduci*, das Baulebungs Recht / & adhuc in nonnullis obtinet, quo Domi-

 nus

nus Territorii ob mortem subditi viri, optimum equum, aut si subditi uxor decedat, optimum quid ex induviis & exsuviis, sibi sumit, & exigit. Additur verò hoc modo, ut ajunt, afflicto afflictio. Ortum traxit sine dubio ex licita & illicita iniquitate & duritie, qua veteres in mancipia & proprios homines gaudebant. *vid. it. all. Schottel. cap.* 2. Item illa Macedonum & hodie Japanorum Lex, de interficiendis etiam cognatis eorum, qui adversus Reges peccaverunt. *conf. plur. Boecler. in not. ad Grot. part.* 2. *fol.* 242. (3.) *Possibilitas*, ad impossibilia enim nemo obligari potest. (4.) *Universalitas.* (5.) *Certitudo*, ut, quid jubeant & prohibeant, percipere valeamus. Removentur E. *contradictoriæ*, incertum enim sonum si tuba det, quis comparet ad bellum? Cavendum tamen ne contradictionem ex ignorantia nostra formemus; quod quandoque accidit in antinomiis juris nostri civilis, quæ ex parte solvi non possunt,

possunt, quia circumstantiæ earum, & tempora, quibus lata, ignorantur. Item *absurdæ* & *otiosæ*, e. g. si jubeantur omnes nudis pedibus incedere; quia dignitatem hominis evertunt, & simul fine carent.

§. 5. Præterea necessarium Legis adjunctum est *promulgatio*. Lex enim in arcano habita, civiumque notitiæ non tradita non obligat; sed promulgatio demum vim & robur legi addit. Formam enim dat omnibus actibus socialibus. Et quæso, quomodo lex, quæ nondum in notitiam publicam s. subditorum pervenit, obligare subditos potest? Concludimus E. placitum Principis, seu voluntatem, publicatione demum *legem* fieri.

§. 6. Non verò Scriptura est de essentia legis, sed adhibetur ut *monumentum*; quemadmodum Scriptura in contractibus adhibetur. *Grot. lib. 2. cap. 16. §. 30.* Ad majorem etiam certitudinem multum confert. Ad essentiam verò Le-

gis scriptæ requiri, quis negabit? *vid. Consultiss. Dn. Collegam meum Pagenstecher. in elegant. aphor. Justinian. lib. 1. aphor.* 17. Exempla Legum sine Scriptura: Lex Salica Gallorum; Lex de Germano in Imperatorem eligendo. De Lege Regia dubitatur, an scripta exstet. *conf. Celeberr. Dn. Becman. Diss. de Lege Regia, & Ampl. Huberi Digr. Justin.*

§. 7. Subjectum, cui leges feruntur sunt *Subditi*, quemadmodum enim Leges ab Imperio, sic à Superioribus in inferiores descendunt. Excluduntur *Infantes & furiosi*, quia mentem legis nec assequi nec intelligere possunt: *Bruta*; cum intellectu & cognitione rerum faciendarum planè careant.

§. 8. Effectus Legum est *Obligatio. Obligare* est necessitatem faciendi alicui imponere. Obligant autem vel *ad obedientiam* vel *pœnam*. Non quod per se in pœnam, ut in obedientiam ferantur; sed quod defectum obedientiæ pœna resarciat: & ejus metu, præcipua legis

legis meta, obedientia nempe valeat. Obligant etiam in *conſcientia*, quia obedire debemus non tantum *propter iram* i. e. metus cauſa, ſed & *propter conſcientiam* i. e. ex ſenſu officii noſtri. *vid. ad Roman. c.* 13. *v.* 5. De obligatione Legum *coactiva* & *directiva*, & quatenus Principem legislatorem obligent, latè diximus *cap. præced. de Majeſtat.* §. 22. 23. 24. *& ſeq.*

§. 9. Quia verò omnes caſus legibus comprehendi non poſſunt, ideò opus eſt *interpretatione*, in qua tunc *verba*, *mens* & *ratio legis* probè ponderanda. Verbis namque ineſt ſententia legis, & ſententia innititur rationi, ob quam jus latum. *L. ſcire leges.* 17. *ff. de LL. l.* 24. *eod.* Interpretatio verò triplex: *Auctoritativa*, quæ fit à Majeſtate ſeu Principe, unde lex prodiit. Nam ejus præcipuè eſt interpretari legem, cujus eſt condere. *l. ult. C. de LL. Uſualis*, quæ uſu & conſuetudine nititur, dum ſecundum hunc vel illum ſenſum legis

ſæpe judicatum eſt; & præjudicia hos ſequuntur. Requiritur verò ut conſtanter, & conformiter judicatum ſit, *per l. 24. ad ŞCt. Trebell. Mevius Conſil.* 34. *n.* 26. *conſ.* 38. *n.* 10. *Doctrinalis*, quam JCti faciunt, æquiparatur *Conſiliis Doctorum*, quæ obligationem quidem non habent, pro ratione tamen inſtar auctoritativæ interpretationis ſe habent, & æſtimantur. *Latior interpretatio* admittitur in favorabilibus, *Strictior* in odioſis. *vid. Grot. lib.* 2. *cap.* 16. *Dn. Struv. Exerc.* 2. *th.* 46. 47. *& ſeq. Ziegler. de Jur. Majeſtat. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4.

§. 10. *Æquitas* propriè dicitur prudens diſpenſatio juſtitiæ, ratione nimirum habita perſonarum, rerum & actionum. *Mevius Prodrom. Jur. Gent. Comm. Inſpect.* 5. *n.* 18. 7. *n.* 24.

§. 11. *Diſpenſatio* eſt relaxatio legis; & per illam non tollitur lex, ſed lege ſalva & integra manente, factum aliquod ad legem non pertinere ſtatuitur.

Et

Et quemadmodum lumen majus non tollit minus, sed effecta ejus tantummodo per lucem majorem suspenduntur; sic etiam dispensatio non tollit legis effectum, sed illum suspendit. Et hæc iterum Principi competit: qui enim legem potest tollere, etiam vinculum circa personam vel factum relaxare potest. Quod factum, cum Israëlitæ jubebantur Ægyptiis auferre vasa aurea & argentea. Hæ dispensationes cum personis applicantur, vocantur *Privilegia*, nihilque aliud sunt, quam beneficia Majestatis. *conf. plur. Ziegler. all. Tract. c.* 1. §. 7. *&* 12.

§. 12. Privilegia verò supponunt Rempubl. in ordinario statu suo, & extra hunc statum, sicut necessitas frangit leges, sic etiam Privilegia. e. g. Studiosi tempore obsidionis coguntur stare in excubiis, si alia ratio extremis necessitatibus consulendi non adsit, libenterque hoc facient, privilegiatæ alias personæ. Nunquam tamen, nisi

probabilis & rationabilis ſubſit cauſa, diſpenſatio & ablatio privilegiorum locum habet. Niſi privilegia ſint *ad beneplacitum*, auff wolgefallen/ conceſſa, hæc enim liberè poſſunt revocari, inſtar aliarum legum. Et hoc caſu Princeps nemini facit injuriam, dum id tollit, quod ſine cauſa conceſſit. *conf. Myler. ab Ehrenbach. de Princip. & Stat. Imp. part.* 2. *c.* 49. *§.* 10. *& ſeqq.*

§. 13. Diſtinguuntur Leges, præter ſpecies §. 2. adductas, communiter in *Univerſales*, quæ ad univerſos ſubditos; & *Particulares*, quæ ad certam Reip. partem, vel loca certa ſpectant. In *Affirmativas*, quæ jubent ſeu mandant aliquid; & *Negativas*, quæ prohibent aliquid, cum tamen omnis lex prohibens per conſequens etiam ſit jubens, & vice verſa. e. g. Deus jubet honorare Parentes, E. & hoc ipſo prohibet, parentibus moleſtiam inferri. Prohibet adulteria, & hoc ipſo jubet caſtè vivere.

§. 14. Leges Divinæ diſtinguuntur in

in *Forenses* & *Morales*. *Forenses leges*, utpote quas Deus, tanquam Princeps Reip. suæ, tulit, non amplius observantur, nec nos obligant, Respubl. enim Israëlitica desiit: nec etiam Deus aliam gentem præter Israëliticam his obligare voluit. Negari tamen nequit, esse in legibus ipsis aliquod morale, quod perpetuum est, & legis animadversionem etiam extra Politiam Judaicam in se provocat. e. g. morale est: turbantes societatem generis humani furtis, cædibus, latrociniis, item profanantes Divina &c. debere puniri; determinatio verò certæ pœnæ alicujus, ad quamlibet Remp. spectat, & non necesse est, ut ea semper cum legibus Mosaicis conveniat; & si conveniat, nulla hinc Legis Mosaicæ obligatio oritur. Ad id vero prosunt & maximè conducunt Leges Mosaicæ pœnales, ut quia determinatio pœnarum ab ipso Deo facta est, inde constet Legislatori, quales à se bona conscientia leges

ges condi & pœnæ dictari possint. Possuntque ex iis liberè sumi, quæ nostris Politiis conveniunt. *Morales* verò non tantum Israëlitis datæ & præscriptæ, sed omnibus in universum hominibus. Peccabant ergo Israëlitæ non solùm, dicentes falsum testimonium, sed peccamus & nos. Non prohibitum Israëlitis tantum, Israëlitam occidere vel proximum, item abstinere ab uxoribus suorum civium, sed & nobis idem severè prohibitum. *conf. Ziegler. ad Grot. lib.* 1. *cap.* 1. *§.* 16. *it. lib.* 2. *cap.* 1. *§.* 14. *it. lib.* 1. *cap.* 2. §. 8.

§. 15. Affinia Legibus sunt *Mandata*, quæ à Principibus ad certos Magistratus dantur, quomodo se in officio gerere debeant. *tot. tit. C. de Mandat. Rescripta*, quæ sunt responsa Majestatis ad consultationem, epistolam vel relationem illorum, qui Principi supplicarunt, emissa aut rescripta. *Consuetudo* est jus à Subditis, tacito Principis consensu, usu introductum. Etiam consuetudo

ſuetudo peccandi aggravat delictum, & ipſa iteratio delicti ſæpè exaſperat pœnam. *Tabor. Racemat. Crim. fol.* 311. *n.* 3. *Grot. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 2. confer. *Struv. Exerc.* 11. *th.* 25. 26.

CAPUT X.

De Magiſtratibus.

§. 1.

CUm leges non tantum ſanciendæ, ſed & exſequendæ, & cum ſine exſecutione ſimiles ſint campanæ ſine piſtillo: cumque ſubditi, licet leges ipſos obligare ad obedientiam ſcirent, tamen hiſce parendi neceſſitatem, ſibi ipſis ob depravatam & corruptam naturam, quæ mala & contraria ſemper appetit, in vetitumque nititur, ſibi imponere non potuerint: Cumque & ipſa Majeſtas ſeu Summus Princeps, exſecutioni legum ſolus non ſufficeret ob negotiorum multitudinem, ſed in laxiori Republ. Imperium per plures veluti canales,

les, diffundi debeat; necesse fuit, ut ex mente *l.* 2. §. 13. *ff. de orig. jur.* aliqui constituerentur imperio & facultate, jura & leges illas exsequendi, instructi. Constituti igitur à Summis Principibus Magistratus inferiores (quorum creatio Jus Majestaticum est) qui cives ad observantiam legum, si non ex sensu officii sui se illis accommodarent, cogerent & refractarios pœnis coërcerent. Et ut hoc facere possent, potestas jus dicendi & judicatum exsequendi illis data, ex qua omnibus æqualiter nomine Superioris & vi Potestatis à Majestate communicatæ, Jus & Justitiam administrarent.

§. 2. Magistratus igitur hi, quoad originem, & omnem Potestatem, & totum suum esse & operari, à Majestate dependent, nihilque sine ejus, qui summum Imperium seu τὸ κύϱιον habet, consensu, tacito vel expresso, efficere valent.

§. 3. Decent verò Magistratus IV. virtu-

virtutes à Jethro in prudentiſſimo conſilio, quod Socero ſuo Moyſi dederat *Exod.* 18. expreſſæ; nempe *Juſtitia, Pietas*, 2. *Paralip.* 19. *veracitas*, & *avaritiæ odium*, non verò quaſi hæc poſterior ſpecialis virtus, & ſub recenſitis non comprehendatur; qui enim eſt juſtus, & hanc cum cæteris habet; Sed ut indicaretur, quanti Reip. interſit munera Juſtitiæ non committi hominibus avaris & improbis, qui metu Dei, ac Juſtitiæ, veracitatisque ſtudiis neglectis, eadem quavis occaſione haberent venalia. Inſuper requiritur *prudentia juris reddendi*, ſine qua alienis oculis videre, & ad ingenium aliorum agere debent. Elegans itidem de Magiſtratus officio regula obſervanda ex *l.* 19. *ff. de Offic. Præſid.* nempe, *Jus reddentem, nec nimis facilem eſſe debere, nec valdè moroſum, nec ſeverum nimis ac difficilem aditu, nec lachrymis ſupplicantium propenſum, ſed virum verè bonum, & omnibus caſibus à virtutis tra-*
mite

mite immobilem. coll. Nov. 3. c. 9. Juri dicendo, cum summa animi intentione & cura incumbet, neque, ut hactenus, Rusticanos sinet injuriis opprimi. Quæ originem, familiam & honestatem natalium Judicis spectant, juris sunt constituti. *vid. v. g. Ordinat. Patriæ meæ Jul. & Mont. c. 2.* Was vor Persohnen zu Richter und Scheffen anzunehmen.

§. 4. Item necessaria in Magistratu *Prudentia Politica*, ut officio suo in togatis & sagatis Reipubl. negotiis feliciter fungi queat. Utrumque enim hoc munus in una persona quandoque conjungitur, dum & militiæ & provinciæ cura in jure reddendo creditur. *conf. l. fin. C. de offic. jud. mil. juncta l. si quando. C. de appellat.* & Jus Feudale *2. Feud.* 10. ubi sine dubio Marchiones & Comites tum temporis & militiæ & Justitiæ muneribus præfecti fuere.

§. 5. Porro etiam attendendum, ne officium Magistratus intempestivè & *immaturis admodum annis* committatur;

tur; quam maximè ideò, quia ætas tenerior affectibus magis obnoxia. Quæ obſervatio tamen pro diverſitate ingeniorum fallax: Alii enim citius, alii tardius eam habent judicii acrimoniam, maturitatem ac præſtantiam, ut rebus etiam arduis gerendis feliciter ſupereſſe poſſint. Inepte E. nonnulli ex barba Philoſophum & virum æſtimant, vel vulgari lippis & tonſoribus noto proverbio ſeducti, vel invidentes Juvenibus animi maturitatem, in florida ætate, quod illi illam, non ante barbam opacam & magnum annorum numerum, adepti ſint. Quibus E. Eruditis de meliore luto finxit præcordia Titan, hi nihil curant, quod in florida ætate ſenii barbam repræſentare non poſſint, ſed ingenii ſenectutem & maturitatem intuentur; & magni faciunt judicium ſenile in adoleſcente. Sic Scipio Africanus ante annos uſitatos ædilis factus; jam enim anno ætatis 24. feliciter in Hiſpaniam duxit exercitum contra

contra hostes. *Nec ætas Juvenilis JCtum excludit, neque Senilis facit.* Nerva enim filius anno 17. vel paulo majori publicè de jure respondit. *l.* 2. §. 3. *de postul.* Senes prudentia valent, Juvenes promptitudine expeditionis, ait Besold. *Synops. Doctr. Polit. lib.* 2. *cap.* 5. §. 4.

§. 6. Denique ab omni partium studio alieni esse debent, nulli enim Jure gentium dantur casus pro amico. conf. *l.* 4. *C. de LL. Dissert. de Casib. pro Amico, Joh. Melchior. Bitschii, (Casp. Fil. Profess. Argentor.) tot. Argentorat. an.* 1650. *hab.* An Xenia, munuscula, seu donativa licitum sit accipere *vid. Dn. Tesmarum Diss. elegant. de Xenis* von der Küchen Steur. Qui tandem ita finit: *Sed unusquisque hac in parte sequatur dictamen conscientiæ suæ, quàm vana nonnunquam hominum judicia; & capiet aliquando munuscula; nec violabit tamen justitiam, impingetque in legem divinam.* Et ut plenè constet, qualis debeat

debeat esse Magistratus, dicimus *Magistratum debere esse virum bonum*; quia (1.) si Magistratus non est vir bonus, incertum ejus redditur regimen, subditi enim nesciunt, quid sequantur, cum aliter jubeat Magistratus, aliter vivat. (2.) Magistratus, qui vir bonus non est, finem regiminis non potest attingere, qui est salus Civium ex ordine regiminis proveniens; at ubi vita mala, malus quoque ordo est. (3.) Magistratus talis tutus non est, alienat enim animos subditorum, unde toties mali Magistratus à subditis pulsi, ob sceleratam vitam. Et hac in re subditi quidem injustum quid egerunt, Magistratus verò injusta non passi, ob delicta, licet per malum & injustum ministerium passi sint. *vid. Grot. l.* 2. *c.* 20. §. 9. *n.* 2. Plutarchus dicit: *Virum bonum à natura Magistratum designari.* (4.) Magistratus, (seu etiam Princeps talis,) est incuriosus, & in subditos malè animatus, quia contentus, si modo obedien-

obedientia præstetur, non habita ratione, quomodo affecti sint subditi. pertinet huc illud Caligulæ: *Oderint, dum metuunt. conf.* §. 2. *cap.* 22.

§. 7. Magistratus etiam alios debere esse *Majores*, alios *Minores*, non tantum sacra monumenta apud Mosen, *all. loc. Exod.* sed & ratio suadet: Diversa enim negotia publica sunt, quæ etiam diversos requirunt Magistratus, & alius ad majora, alius ad minora aptior. Omnes enim arcanam illam Rempubl. gubernandi rationem penetrare non possunt.

§. 8. *Fœminæ* arcentur, quia natura sunt inconstantis animi, adeoque merito à publicis judiciis & negotiis removentur; atque ita non solum in jure Civili constitutum, sed etiam Gentium moribus in benè constitutis Rebuspubl. servatur.

§. 9. Desinit Magistratus esse (1.) *Morte*, qui solvit omnia rerum. (2.) *Lapsu temporis*, si scil. ad tempus officium

cium magiſtratus conceſſum; uti hodiè in Civitatibus municipalibus & aliis Conſulum officium, quod plerumque annuum. (3.) Ex voluntate Superioris, *revocatione*, ſine nota tamen gerentis; quod uſitatiſſimum Regi Hiſpaniæ in Provinciarum Gubernatoribus & aliis Regnis. Etiam *privatione*, ob delictum. (4.) *Reſignatione*, quæ uti inter privatos, ſic in Publicis quoque locum habet.

CAPUT XI.

De Judiciis.

§. 1.

TAntum de Perſonis Magiſtratuum, ſequitur jam officium, quod in jure dicendo, ſeu exercitio judiciorum conſiſtit. Et in his ſingulas leges ſuis factis applicare debent, ad bonorum virtutem augendam & improborum malitiam coercendam.

§. 2. Judicia publica non à natura, ſed facto humano orta. Multoque ho-

neſtius & ad quietem hominum conducibilius, ab eo, cujus nihil intereſt, rem cognoſci; quam homines ſingulos, nimium ſæpe amantes ſui, (nemini enim mortalium injuriæ ſuæ parvæ videntur) quod jus putant, id manu exſequi. Proinde tam laudabili inſtituto obſequendum eſſe, ipſa dictitat æquitas, & ratio naturalis ſuadet. Et huc facit quod Paulus JCt. dicit *l.* 176. *de R. J. non eſſe ſingulis concedendum, quod per magiſtratum publice poteſt fieri, ne occaſio ſit majoris tumultus faciendi. Conf. Hug. Grot. lib.* 1. *c.* 3. §. 1. *n.* 2. Et vim vocant leges, *quoties quis id, quod deberi ſibi putat, non per judicem repoſcit. add. Ziegler. ad Grot. all. loc.*

§. 3. Zieglerus *ad Grot. in not. lib.* 1. *c.* 3. §. 2. *n.* 1. de neceſſitate judiciorum ita diſſerit: *Non arbitror conſiſtere poſſe ſocietatem ſine judiciis, ſaltem inter populos moratiores. Etſi enim ordinatio judiciorum & forma eorum externa talis non fuerit ab initio, qualis nunc eſt; vi-*

xiſſe

xisse tamen homines inter se sine magistratu, sine imperio & sine judiciis, mihi non sit verosimile.

§. 4. Non obstat Judiciis dictum Servatoris nostri *Matth.* 7. ℣. 1. 2. *nolite judicare*; quia prohibentur saltem *judicia temeraria* i. e. non tantum ea, quæ ex partium studio manare possunt, sed imprimis illa, ad quæ non vocati sumus. hæc sibi arrogare velle, temeritatis est, licet frequentissimum inter homines sit vitium. In profanis huc pertinet: *ad judicium, nisi vocatus, ne accesseris.* Et monitum illud eximium Ziegleri *ad Grot. l. 2. c. 1. §. 3. Extra periculum constitutis, facilius esse rectè philosophari, & de justitia causæ disceptare.* Sique hoc, flagrante bello hodierno Germano-Gallico, à temerè judicantibus observaretur, tam sequiora judicia simulque tædiosa non audirentur ab illis, quibus bellum & modus bellandi incognitus & inexpertus; semper hac ratione verissimum illud: *Tu si hic esses,*

forsan aliter sentires. Qui etiam de hominibus & proximo suo temerè judicat, aliorum quoque judiciis subjacet, nec causam querendi habet; quia monumenta propriæ tranquillitatis rescindit. Judicium enim suum cur non suspendit? Locumque habent hic Regulæ: *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Et *quod quisque juris in alium statuerit, & ipse eodem utatur.* Et quale judicium in alios ferimus, tale nobis in paribus causis à Deo exspectandum esse, graviter monet *incomparabil. Grot. l. 2. c. 20. §. 16.*

§. 5. Personæ judicium principaliter constituentes sunt *Judex, Actor, Reus.* Minus principales *Advocati, Procuratores & exsecutores* &c. *vid. Struv. Exerc. 9. th. 3. 4. 5. & seq.*

§. 6. Subjacent Judiciis *Personæ, Res & Actiones.* Excipitur Princeps, qua talis, quia supra vim est coactivam, neminemque agnoscit superiorem. In causis tamen privatis prædiorum & similium

milium possessionum, ordinariis judiciis se subjiciunt. Difficilis verò exsecutio.

§. 7. Judex sibi ipse jus dicere non potest, quia in rebus nostris & nostrorum affectu corrumpimur. *Grot. lib.* 2. *c.* 20. §. 8. *n.* 4. Nec sine judicio nostrum consequi licet, si nim. copia judicii adsit, ubi verò hæc cessat, incipit bellum. Cessat autem vel *continuè*, vel *momentaneè*. *Grot. lib.* 1. *c.* 3. *§.* 2. *n.* 1.

§. 8. Judicandum in judiciis secundum *acta* & *probata*, quæ speciem facti constituunt. Huncque ordinem judicandi ipse Deus in causa Sodomorum *Genes.* 18. *v.* 20. *& seqq.* observavit. Fama delictorum occasionem inquirendi dedit, *vs.* 20. 21. Et ad hanc Deus se accingit instar judicis humani, & informari vult, an omnia ita se habeant. Hanc sequuta inquisitio, auditur etiam Causarum Patronus, Abraham, non quidem ex officio datus, sed sese offerens, defendere eos tentans ex eo,

quod tota communitas & multitudo deliquerit, ob quam alias in delictis pœna si non remittitur, tamen mitigatur. Imò obmovet; Deum non posse communitatem tollere, in qua nocentes & innocentes, *vs.* 23. 24. piorumque recenset gradus. Nec petitionem & desiderium Abrahami Deus rejecit. Inquisitionis continuationem habemus *cap.* 19. Et convictionem de delictis *ibid. v.* 4. 5. *& seq.* tota quippe communitas peccaverat, nec decem innocentes ostendi potuerunt. Aderat & sic corpus delicti, etiam delicta ipsa *vs.* 8. Sequuta etiam sententia & pœna, suppliciique seu pœnarum exsecutio, quæ *cap.* 19. legi possunt. Item David secundum acta & probata jussit interfici juvenem, jactantem, se interfecisse Saulum, 2 *Sam.* 1. Et quidem juste, quia gloriatio talis vana & illicita, ob summam inde orituram confusionem.

§. 9. Ergò Judex præcise ad acta & probata est obstrictus, nisi in conscien-

tia

tia convictus sit, actis obstare veritatem. Quod si infallibiliter sciat facti circumstantias, acta verò contrarium doceant, ad exonerandam conscientiam suam, secundum eam, non secundum acta judicare debet; aut potius, deposita Judicis persona, testem se offerre. Excusari alias posset factum Pilati, qui Christum secundum acta, sed reclamante conscientia, damnavit. *Marc.* 15. *v.* 10. *add. Libenthal. Colleg. Polit. Exerc.* 12. *quæst.* 6.

§. 10. Elicitur vel constat veritas in judiciis vel per *spontaneam Confessionem*, vel per *Juramentum*, vel *Testes*, vel *Torturam*, quæ propter magna, quæ in vita sociali occurrunt, incommoda, & quæ sine ea longe deteriora essent, seu ad vitandum majus malum admittenda. Et non tam ad eruendam & eliciendam veritatem, quam ad agnoscendam & confirmandam, & in subsidium adhibetur. *add. D. Rövestrunc. in addit. ad Oldendorp. Class. act. Class.* 7.

introd. Neque etiam torturæ subjici solent, nisi quorum delicta jam ex aliis indiciis claruerunt. An hæc pugnet cum principiis Theologicis & Politicis *vid. Keckerman. Discurs. Polit. Disp.* 32. *problem.* 4. *conf. Mevius Consil.* 11. *n.* 5. *&* *n.* 40. in Anglia non admittitur, ob rationes, quod (1.) servile aliquid sapiat. (2.) quia insonti nulla compensatio fieri possit, ut illi de injuria satisfiat. (3.) abominandum esse, illum prius excarnificari, quem mori oporteat. *Videatur Smith. de Republ. Angl. lib.* 2. *c.* 27.

§. 11. Variis, extraordinariis & suspectis probationum generibus usi veteres Germani mediis sæculis, qualia *Ordalia*, sive *judicium Dei*, Ordel / Gades ordel / Gottes uhrtheil. Ejusmodi probationum seu purgationum modi fuere (1.) *Duellum*, (2.) *Ignis*, cujus purgatio vel per *ferrum ignitum*, vel per *rogum*, vel *prunas*, vel *ferrum candens*, quo comprehendebantur *vomeres*,

meres, *laminæ*, vel *chirothecæ candentes*. (3. *Aqua*, eaque vel *calida* vel *fervens*. His & addi potest usitata *purgatio per Sacram Eucharistiam*, *panem hordeaceum*, *offam judicialem*, *juramenta*, *sortes*. De his verò omnibus speciebus ex professo agere, instituti ratio non permittit, Vid. Hachenbergii *German. Mediam*, & *ibid. diss.* 3. *de Legib. Vet. German.* §. 16. 17. & *mult. seqq.* Schottelium, *de Sing. & Ant. Germ. jur. cap.* 28. vom ordel Recht. *Celeberr. Dn. Becman. Diss. de Judiciis Dei.* Quid de *cruentatione cadaverum* dicendum, quæ accidit nonnunquam accedente homicidâ ad cadaver occisi? Divini quid subesse negari nequit; Vindex est Deus ubique, & admirandis indiciis potens semper exstitit ira summi Numinis. Exemplis etiam constat, quæ magno numero adducit Schottel. *all. Tract. cap.* 3. & inter alia unum in Frider. I. Daniæ Regis corpore mortuo condito & linteis ceratis loculo incluso, quod ita

cruentasse narratur, ut vasa ad excipiendum sanguinem loculo supponere necessum habuerint. At Deum hac ratione, mox sequutam gravissimam pœnam & magnam sanguinis profusionem indicare voluisse, hinc colligebatur. *vid. all. c. 3. p. 99.* Regula tamen inde non formanda, sed divinæ providentiæ res tota committenda. A veteribus dicta das BaarRecht / it. *Jus Feretri*: *Jus cruentationis. vid. latè Schottel. Dn. Becman. all. diss. cap. ult.* §. 2. *An sufficiens sit indicium ad torturam*, dubitatur à nonnullis. *vid. Schot. all. loc.* §. 24. *Carpzov. Prax. Crim. p. 3. quæst.* 122. *n.* 36. *Mascard. de Probat. vol.* 2. *concl.* 860. *n.* 24. Si alia indicia concurrant, ad primum vel secundum torturæ gradum procedi posse cum Schottel. existimo.

§. 12. Processus judiciarii non debent trahi in longum tempus, nisi res & circumstantiæ aliud suadeant, & innocens ex celeri expeditione non gravetur; satius enim hoc casu erit processum extrahi,

trahi, quam innocentem gravari.

§. 13. Finiuntur per *Sententiam*: quæ vel à *Magiſtratu inferiori* profertur, à quo ad Superiorem appellare licet; vel à *Principe* ſeu *Supremo Principis Tribunali*, in qua acquieſcendum, quia ultra Principem nihil datur. Et is etiam ſemper præſumitur talis, qualis eſſe debet, unde & nemini injuriam inferre creditur.

§. 14. Proceſſus nulli formantur in Ruſſia & Imperio Turcico; quod inconſultè Scriptores laudare ſolent. In utroque enim Imperio æque innocens & nocens patitur. Fatendum quidem ſine ſtrepitu forenſi multa decidi poſſe, ſed longè majora futura incommoda. Igitur majoris mali vitandi cauſa & ordinis gratia formandi proceſſus judiciarii.

§. 15. *Provocatio ad vallem Joſaphat*, ſeu *Tribunal Jeſu Chriſti*, ſuſpecta & in vulgo etiam vana, quia adire poſſunt judicia. Imo Deus etiam ſine provoca-

tione tanquam Justissimus Judex injurias vindicat, & oppressum è periculo & anxietate educit. Distinguitur tamen non inconcinne, inter *provocationem definitam*, qua certum tempus, locus, certum pœnæ genus Deo commendatur, quæ & sine tentatione Divina fieri nequit. Et *indefinitam*, qua res sine circumstantiis Deo commendatur, & hæc approbatur & licita est: Tali modo *Templarii*, ordo quondam Equitum Religiosorum, (quales v. g. hodiè Johannitici) causæ suæ innocentiam, cum quam maxime eos inimici persequerentur igne & ferro, Deo commendarunt; & licet super Personis etiam provocarent, non tamen tam Personarum, quam innocentiæ suæ rationem habuerunt. Brevi etiam Pontifex Max. Clemens V. cum Rege Galliæ Philippo, auctores deletionis & persecutionis Templariorum, post illam obierunt, imò eodem anno: Sic Joh. Hussus celebris ille Martyr, cum ad supplicium

plicium duceretur, an. 1416. testantibus Historicis dixit: *Post centum annos Deo & mihi respondebitis.* Et certe an. 1517. Martinus Lutherus contra Indulgentias Papales cœpit disputare. *add. Liebenthal. Ex.* 12. *quæst.* 11.

§. 16. Cognati Judicibus *Arbitri*, in litibus privatorum conciliationem tentantes amicam. *Mediatores*, in Principum negotiis togatis & sagatis. *Compromissarii*, s. Judices Superiores ex pacto, dum controvertentes tertium aliquem sibi Judicem eligunt. Exemplum in Controversia *VVildfangiatus* 1666. in qua Judices ex compromisso Rex Galliæ & Sueciæ. Sententia eorum vocatur *Laudum.* Quale est *Laudum Heilbrunnense.* Specimina Judiciorum in plerisque Rebuspub. *vid. apud Dn. Becman. Consp. Doctr. Polit. cap.* 16. *pag.* 84. *add. Schubhard. de Austregis S. Rom. Imperii.*

CAPUT XII.

De Pœnis.

§. I.

Rectiſſimè Cic. *l.* 3. *de Nat. Deor. Non domus ulla, nec Reſpubl. ſtare poteſt, ſi in ea nec rectè factis præmia exſtent, nec ſupplicia peccatis.* Quemadmodum enim formidine pœnarum improbi ac viles coërcentur: ita præmiorum promiſſione bonorum virtutes accendi ſolent. Hæc duo ſunt veluti vincula, quibus civitas amicam concordiam retinet. Imò magna pœnarum in Republ. neceſſitas, ut delinquentes patiantur ob delictum, quo terreantur alii ad delinquendum faciles, ſinguli in officio contineantur, & ſuum cuique tribuatur, ſecundum primum illud Juris naturæ præceptum §. 3. *l. de J. N. G. & C.* hinc nunquam ulla ex moratioribus Rebuspubl. fuit, quæ non ſingulis delictis ſuas ſtatuerit pœnas. Judex ille juſtus

justus audit, qui delinquenti competentem & delictis adæquatam pœnam infligit; Justitia administrari dicitur, ubi rectè decernuntur pœnæ.

§. 2. Breviter cum Doctore nostro Dn. Becmano, dicimus, *Pœnam esse passionem ob delictum.* seu cum Grotio, *esse malum passionis, quod infligitur ob malum actionis. add. Pufendorf. de Offic. hom. & civ. l.* 2. *c.* 13. §. 4.

§. 3. Habet *jus puniendi* solus Princeps, & Magistratus à Principe constitutus. Soli enim hi jus agendi in Rep. habent, E. & jus pœnam infligendi. Dubium hic moveri solet, unde Princeps habeat jus puniendi, cum non aliud jus habeat, quam quod populus in ipsum transtulerit, *arg.* §. *6. I. de J. N. G. & C.* verosimile verò non sit, subditum seu populum sibi voluisse infligi pœnas, cum nemo sibi ipse censeatur male velle, & carnem suam nunquam aliquis odio habuerit? Sed ad hoc respondéri solet, unumquemque in Rem-

publicam

publicam transtulisse Jus arcendi à se injurias; & cum hoc ipso, jus, eum, qui nobis injuriam infert vel inferre studet, puniendi. Nos verò insuper cum aliis putamus, Jus puniendi propriè sic dictum, non fluere ex translatione Jurium singulorum in Rempubl. sed ex vicariatu Divino, quem repræsentat. Quod quis enim non habuit, non potuit transferre, Jus verò vitæ & necis subditi non habuerunt, E. Solius enim Dei, qui vitam dedit, est proprium, & jam Principibus, quibus hoc datum & communicatum, ob divinum, quod inter homines repræsentant, imperium.

§. 4. Cum verò Jus Puniendi semper requirat *inferiorem*; hinc Princeps Principem, Respubl. Rempublicam, punire non potest, ob paritatem, par enim in parem non exercet imperium. Denegatur etiam *privatis*, quia pares sunt. *Grot. l.* 2. *c.* 20. §. 3. *Nec nosmet ipsos punire possumus*, ob teneritudinem nostri

nostri amoris, qui molestum aliquod in corpore fugit; pœnam igitur appetere, implicaret contradictionem. Hinc judicium formari potest de *Spontaneis flagellationibus*, utpote quæ repugnant naturali amori, nihilque nisi defatigationem carnis & corporis involvunt, & proinde ad Religiones non forent arcessendæ.

§. 5. Versantur pœnæ circa *delicta* i. e. transgressiones legum. Quæ ergo legibus non comprehenduntur, nec pœnis subjacent. Non E. indistinctè omnes actus vitiosi puniri possunt, sed ii tantum, qui Societatem humanam directò lædunt. Vitiorum igitur Internorum & Moralium, uti avaritiæ, superbiæ, timiditatis &c. quamdiu Societatem humanam non lædunt, nullæ pœnæ sunt. Hodie verò versiculus ille à quodam Germano, Germanorum in inebriando dulcedinem Italo accusanti & traducenti, per retorsionem justam objectus: *Ut nos dura sitis, sic vos Venus*

nus improba vexat, Est data lex Veneri Julia, nulla mero: (ex Recess. Imp. *de ann.* 1500. zu Augspurg. *tit.* vom zutrincken. *it.* zu Cöllen *an.* 1512. *à Laudatiss. Imper. Maximil. I.* publicatis & Reformat. Polit. zu Augspurg. *de an.* 1530. vom zutrincken. *& de anno* 1548. *à Carolo I. Maximil. I. ex filio nepote, gloriosiss. Roman. Imper.* eodem animo publicata, uti ex identitate verborum claret, *vid. Melch. Goldast. Constit. Imperial. tom.* 2. *p.* 143. & ultima Rudolphi II. Ordinat. Polit. *de anno* 1577. *tit.* 8. *Rubric.* von übermässigem trincken und zutrincken / aliorumque Serenissimorum Germaniæ Principum Constitutionibus), est limitandus.

§. 6. *Cogitationis pœnam nemo patitur, l.* 18. *de pœn.* quia actus est merè internus, & sermo animæ se ipsam alloquentis. At quis inter homines καρδιογνώστης nascitur, noscriturve? Ignotæ autem rei nulla accusatio, nulla cognitio, nulla pœna. *arg. l. ult. C. de non*

num.

num. pecun. cap. varias. 16. *de jurejur.* Neque enim poteſt Legislator præcipere vel prohibere id, de quo judicare non poteſt, quia hæc paris poteſtatis ſunt. Cum Deus ſolus cordium ſit ſcrutator. Unde nec Eccleſia de occultis judicat. *cap.* 33. *in fin. x. de Simonia. can.* 20. *cauſ.* 2. *quæſt.* 7. Et voluntas in mente retenta nihil operatur, adeoque nec delictum aut pœnam. *Grot. lib.* 2. *c.* 20. §. 18. *Magnif. Dn. Stryck. de Jur. Senſ. Diſſ.* 10. *c.* 4. *n.* 2. *& ſeq. it. c.* 1. *n.* 25. *& ſeq.* Secus autem eſt, ſi cum effectu ad alios dimanent, & ſignum aliquod vel indicium relinquant; vel ut *can.* 20. *diſt.* 1. *de pœnit.* hoc explicat, ſi in terminis cogitationis non permanſerint. Sic *crimen Majeſtatis* ſola cogitatio facti abſolvit. *l.* 5. *C. ad L. Jul. Maj.* etiamſi confeſſio cogitati criminis tormento fuerit exacta, ut eſt *ap. Suet. in Tiber. c.* 19. *in fin.* Apud Curtium *l.* 6. *cap.* 11. Calis ob cogitatum cum Demetrio facinus ſaxis obrutus

eſt.

est. Intelligunt verò hæc DD. de cogitatione conjuncta cum colloquio & tractatu, *Decian. de Crimin. lib. 9. cap. 28. n. ult. conf. Tabor. Tr. de Conatu, cap. 2. §. 6. Illustr. Dn. de Rhetz. diss. de Occultis, volum. 1. Disput. Select. cap. ult. Magn. Dn.* Strijckius, *Doctor meus venerandus, all. Tract. diss. 10. c. 6. n. 27.* de Cogitationibus sequentem format more suo maximè laudabili Regulam: *Cogitationem delinquendi, quæ ad factum exterius, delicti consummationem respiciens, processit, puniendam esse.* In Foro interno res expedita. *vid. ad Rom. c. 7. v. 7. Exod. 20. v. 17.* Notandus casus *Torberni Oxii*, Nobilis Dani, Gubernatoris Haffniensis, qui Christiani II. temporibus, ob solam cogitationem amorum, ultimo supplicio fuit affectus. *Meurs. Histor. Dan. lib. 3.*

§. 7. Nec *posteri* propriè puniri dici possunt: qui enim non sunt, nec deliquisse dici possunt. Quod vero patiuntur ob parentes, *infortunium* dici meretur.

retur. *Vid. Dn. de Pufendorff. Element. Jurispr. lib.* 1. *defin.* 21. §. 7. *Peccata & suos teneant auctores: Nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum.* Grot. *lib.* 2. *cap.* 20. §. 13. *n.* 1. *&* 2. Seneca *nihil iniquius* dicit, *quam aliquem hæredem paterni odii fieri. lib.* 11. *de Ira c.* 4. Audiamus Zieglerum de pœnis liberorum differentem: *Supplicia quædam nulla ratione purgari satis possunt ab iniquitate, quam continent. Id tamen non diffiteor, prudenter coërceri perduellium liberos, ne noceant & parentum supplicia vindicent. ad Grot. l.* 2. *c.* 20. §. 13. *Bruta* interficiuntur, non quasi deliquerint, intellectu enim carent, sed ad abolendam facti memoriam.

§. 8. Extenduntur justè ad *mortem*, tum in favorem innocentum, tum etiam quia Resp. summum habet jus in vitam subditorum. *conf. §.* 3. *Cruciatus* etiam in pœnis addi possunt, pro delicti ratione; attamen non ultra humanum modum extendi debent. Prout omnes actiones

actiones nostræ intra humanum modum continendæ. Unde qui multis modis mortem meruit, multis cruciatibus ad illam duci potest. Sunt enim indicia & complexus plurium delictorum. Et vita anterior simul cum delicto in æstimationem venire debet. *Grot. l.* 2. *c.* 20. §. 30. *n.* 2. Nonnunquam etiam in pœnarum distributione Nobilitatis ac Dignitatis delinquentis ratio habetur, *arg. l.* 16. §. 3. *ff. de pœn.* Ipsa verò dignitate, officio & honore delinquens, antequam ultimo supplicio afficitur, per ejusdem dignitatis consortes & membra privatur, & in conditionem planè privatam ponitur, tumque manibus carnificis traditur. Exemplum recentissimum in eo, qui Heidelbergam Palatinatus Caput, in opprobrium Germanici nominis, tot millium totale exitium & interitum, infensissimo Germanorum hosti, nescio quo furore aut timore, flagitiosissimè; ne suscepta quidem ulla defensione, diripiendam & fundi-

funditus devastandam, reliquit.

§. 9. Quid dicendum de *pœnis in effigie?* Sunt veluti pœnæ morales, declarantes personam veram, ejusmodi supplicio dignam fuisse, adeoque pro veris & moralibus pœnis habentur, effectumque in genere humano producunt, & talis non habetur amplius pro existente, & in bona ita statuitur, quasi revera pœna affectus sit.

§. 10. Exsecutores pœnarum in Europa nostra sunt *lictores* & *carnifices*, ministerium Justitiæ in exsequendo supplicio præstantes. Suntque vulgo exosi & abominationi, quia semper circa facinorosos versantur, & mortis (quamvis meritæ) supplicium exsequuntur. Plerumque etiam ferocitas & crudelitas aliqua illis adest, ex frequenti illo suppliciorum exercitio. Accedit, quod & his sordidissima quædam à Magistratu opera nonnullis in locis, ut morticinorum, cloacarum &ss. curæ demandentur. Verum quia causæ hæ omnes fluunt

ex

ex accidente, *inhonesti per se & infames* minimè haberi possunt; nec quia Justitiæ ministerium præstant, incommodum, tanto minus famæ jacturam, pati debent. In Veteri Testamento in Republ. Hebræorum erant *Testes* exsecutores. Saul jussit, ut emissarii sui interficerent Sacerdotes. 1. *Reg. c.* 22. David illum, qui dicebat à se interfectum Saulum, per unum ex pueris occidi jussit. 2. *Sam.* 1. *v.* 15. In *Regno Persiæ proximi agnati* eodem modo hoc peragunt, ut apud nos carnifices. Inhumanitate verò non caret. *Conf. Bodin. de Republ. l.* 3. *c.* 8. *Keckermann. Curs. Philosoph. disput.* 32. *emblem.* 6.

§. 11. *Nec ipsi pœnam in corpore nostro exsequi possumus*, licet Magistratus hoc jubeat. Ob amoris nostri teneritudinem. Repugnantia esset in materia, naturalem in nobis amorem exstinguere velle. Proinde damnanda exempla Veterum Romanorum, & hodiernorum *Japanorum*. Apud hos Rex,

alia

alicuiqui mortem meruit, mandat: *Abi, ventrem tibi scinde.* Seneca *Epist.* 30. *Aliquando, etiamsi certa mors instabit, & destinatum sibi supplicium sciet, non commodabit sapiens pœnæ suæ manum. Stultitia est timore mortis mori, veniet, qui occidat, exspecta; quid occupas alienum negotium?* Unde & *præbitio veneni* illicita, Antiquis Græcis valdè usitata. Apud Athenienses Socrates pœna hac affectus, exhausto cicutæ, strenuè & cum admiratione adstantium, poculo. Reus enim hac ratione carnificis munus obit, ac sibimet manus violentas infert. *Add. Keckerman. all. Tr. emblem.* 5. Ad facilitandam tamen pœnam infligendam reum concurrere posse, extra dubium, e. g. fur jamjam suspendendus, *sponte scalam ascendere* potest, quia pœna ex eo per se non sequitur. Non verò *sponte se dejicere*; quia vitæ nostræ ad extremam mortem & halitum usque consulere debemus.

§. 12. Oppositum pœnis *Jus aggratiandi,*

tiandi, dubium enim nullum, quin Princeps id, quod lege positiva cum determinatione certæ pœnæ prohibuit, pro lubitu etiam vel totum remittere, vel mitigare saltem possit. Non autem nisi cum diligenti causæ cognitione fieri debet.

§. 13. Mensuram accipit ex *Natura* delictorum, quorum quædam indispensabilia & *Natura sua capitalia*, quædam verò ex *Lege capitalia* & dispensabilia. *Vid. Cl. Dn. Becmannum, Polit. parall. c.* 15. §. 6. *Natura capitalia* sunt: Homicidium, Atheismus, Magia nefanda, Concubitus cum masculis & bestiis. Quibus à nonnullis additur Crimen Majestatis & Rebellionis. *Lege Capitalia*: Furtum, Sacrilegium, Adulteria &c. hisce e. totum genus humanum, uti prioribus non evertitur, sed tantum turbatur. Cum porro Princeps juri naturali sit subjectus, & legibus Divinis moralibus æque ac alii homines teneatur, *Ziegler. de Jur. Majest. lib.* 1. *c.* 8. §. 8.

limitata

limitata etiam erit ejus poteſtas, nec gratiam circa delicta, natura & lege divina, capitalia facere poterit. Quia hæc judicia non ex arbitrio ejus, ſed ex mandato naturæ & Dei dependent, mandatarius verò mandati fines egredi nequit. *Dn. Becman. Diſſ. de Divin. Vicar. Princip. c. 3. §. 5. in fin.*

§. 14. Cauſæ, quæ Principem ad gratiam faciendam movere ſolent, ſunt (1.) Utilitas publica, *l.* 21. §. 2. *ff. ad l. Aquil.* (2.) Delinquentium merita in rempubl. collata. *Gail. lib.* 2. *obſ.* 56. *n.* 4. *&* 110. *n.* 41. *Dn. Pufendorff. de J. N. & G. l.* 8. *c.* 3. §. 17. Exemplum in S. Scriptura 1 *Reg.* 14. (3.) Vita ante bene acta; ſi enim is, qui alias optimis moribus Reip. ſe commendavit, delinquat, ex imbecillitate potius, quam dolo peccaſſe cenſetur. *l.* 5. *pr. &* §. 6. *ff. de militar.* (4.) Dignitas. *conf.* §. 8. *huj. cap. l.* 6. *pr. &* §. *fin. ff. ad. L. Jul. pecul. l. ult. de ſepulchr. viol.* (5.) Inſigne artificium, *l.* 31. *ff. de pœn.* (6.) Si de-

 linquens

linquens pœnitentia ducatur, & omnia in pristinum statum reducat. (7.) Cum quis diutius in carcere detentus fuerit, *l.* 25. *ff. de pœn.* Clementius enim ille puniendus, ita ut à pœna, quam pati debuisset, detrahatur, quod ob diuturnum carcerem passus est. *vid. Tabor. Armament. Justin. Comment. de admenat. cap.* 3. *& ibid. in Respons. verb.* zum Sechsten. *Mevium Consil.* 11. *n.* 102. 103. *& seq.* (8.) addunt, si rupto laqueo ad mortem laquei damnatus in terram ceciderit; quia reputandum pro facto miraculoso. *Vid. latè Tiraquell. Tr. de pœn. temper. & remitt. caus.* 41. 50. *& seq. Carpzov. Prax. Crimin. part.* 3. *qu.* 140. *& seq. Pufendorff. de J. N. & G. lib.* 8. *c.* 3. §. 16.

§. 15. Denique addimus *Asyla*, loca refugii adversus vim injustam. Adeoque facinorosis non prosunt, quia vim injustam non patiuntur. Ideo enim Deus asyla illis constituit, qui homicidium casuale commiserant, *Exod.* 21. ℣. 13.

℣. 13. alios verò inde extrahi jussit in generalem abominationem effusionis sanguinis humani. Item Asyla illis, qui crimen Divinæ vel humanæ Majestatis commiserunt, securitatem minimè præstant, exemplum in Sacris 1 *Reg. cap.* 2. ℣. 28. 29. *& seq.* ubi Salomon jussit avelli à cornu altaris & interfici in tabernaculo Dei Joabum, quia proditor Majestatis erat. *Add. Dn. Tesmar. Diss. de Asylis. vol. 1. Diss. & Dn. Thomasii Diss. de Jure Asyli legat. ædib. compet. Lips. an.* 1689. *hab. Keckerman. all. loc. emblem.* 3. *Grot. lib.* 2. *c.* 21. §. 5.

§. 16. Hodierna Receptio facinorosorum in Monasteriis & Ecclesiis originem debet veteri Christianorum mori, precibus suis interpositis pœnas ut plurimum avertentium. Evidenti verò abusu laborant, dum ædes Sacræ quandoque patrocinium injustitiæ præstant. Salvum enim se sentit reus, cum in monasterium vel templum aufugere potest, etiamsi ex malitia & studio homi-

cidium vel simile delictum commiserit. Apud Gentiles eodem loco reponebatur seu habebatur templum Minervæ Lacedæmoniorum; Nemo enim hinc extrahi poterat. Hic non prætermittendus casus Pausaniæ, Ducis Lacedæmoniorum, quem fugientem in templum Minervæ, Lacedæmonii quidem eo non extraxerunt, sed obstructis & occlusis foribus fame necarunt. Verum non eò minus vis Asylo illata, actu non simpliciter, sed effectu ex actu fluente spectato; major vis est in asylo aliquem enecare, quam ex asylo extrahere.

CAPUT XIII.

De Præmiis.

§. I.

SEquuntur ordine *præmia Reip.* quibus subditi ad honestatem & egregia reip. facinora excitantur. Et hodiè Summi Principes plerumque laudabi-

lem

lem hunc morem habent, quod de se & Republ. benè meritos *nobilitate* vel *Equestri* & *majore dignitate* condecorare soleant. Nec sine ratione; quia generosissimi cujusque virtus, pretium nullum laborum periculorumque suorum desiderat, præter honoris & gloriæ.

§. 2. Causa efficiens harum Dignitatum est *Summus quisque Princeps*, in suo Regno. Inter causas impulsivas sunt *merita*. *Meritum* vero est jus accipiendi præmium, factis suis æquivalens. Ex meritis etiam fluunt dignitates, & ob res bene gestas nobis debetur æquivalens. Unde rejicitur *emptitia*, quia sine meritis esse creditur. hæc non durabilis, quia anima, meritis nempe, caret. Hincque recentes illos nobiles in se ipsis vel proximis deficere videmus, quia dignitatem non ex meritis habent. Denegantur E. indignis.

§. 3. Nec omnis virtus nobilitat, sed ea saltem, quæ ad bene esse Reipubl. quid confert. Hinc Consiliarii nobili-

tantur ob prudentiam: Milites ob fortitudinem; ob liberalitatem, qui Rempubl. opibus juvant. Hinc in Republ. Venetorum illi ad Patricios Nobiles adſciſcuntur, qui certam pecuniæ ſummam tempore neceſſitatis ſubminiſtrant.

§. 4. Nec indifferenter omnibus & copiosè nimis dignitates diſtribuendæ; quia hac ratione vileſcunt, & antiquarum familiarum ſplendor deprimitur. *Hereditariæ* verò dantur in ſpem continuationis meritorum erga Rempubl. Et hæc ratio, cur Priſci Imperatores Germanici dignitates hæreditarias Statuum Imperii fecerint, e. g. Ducum Saxoniæ, Marchionum Brandenburgenſium, Comitum Palatinorum &c.

§. 5. Etiam *Reſpubl. Liberæ*, dum habent plena jura Summæ Poteſtatis, habent & jus conferendi dignitates. Fieri verò non ſolet, ob ſtudium æqualitatis, cui dignitates repugnarent. Sic Potentiſſ. & florentiſſima Belgarum Respublica,

publica, ut & Helvetiorum, nullos nobiles creant.

§. 6. *Exteris* quoque conferri possunt, quia beneficia. Hacque in parte differunt à *Pœnis*, quæ in neminem, nisi Reipubl. nostræ subditum, conferri possunt. Imò esset cum injuria conjunctum, si alium malo sine causa afficeremus. Dignitates verò contra. Sic Princeps Transylvaniæ, ut & Razevilienfis S. R. I. Principes. Fallit hoc in Regnis absolutioribus, in quibus non nisi cum consensu Regis & Principis, cujus subditi perpetui sunt, dignitates accipere audent. Unde cum Rudolphus II. Nobili Anglo Comitis Titulum donasset, illumque in Anglia sibi tribui vellet, Elisabetha Regina hoc vetuit, dicens: Subditos non nisi cum consensu Superiorum suorum dignitates ferre & recipere debere, cedere enim hoc in contemptum ipsius. Aliud exemplum in Episcopo Roffensi. *vid. ap. Camden. in Annal. Elisabeth.*

§. 7. Notæ Dignitatum sunt *insignia.* Hinc dignitates qui non gerit, nec insignia rectè gerit. Unde vulgi insignia nulla, quia dignitatibus caret; & quæ vocant insignia, nomen hoc non merentur, sed saltem notæ personales sunt, æquiparandæ notis ædium in civitatibus majoribus. Quo ad notitiam & antiquitatem Insignium consule Dn. Speneri *Opus Heraldicum i. e. notitiam insignium.*

§. 8. Observandum partes insignium esse (1) Scutum seu campum. (2) Emblemata i. e. figuras & colores scuto adhærentes. (3) Galeam, der Helm. (4) Clinodia ornatus causâ galeis adjecta. (5) Sustentacula, seu Telamones, qui insignia sustinent. Non tamen in omnibus apparent. Seriem dignitatum latè exhibet *sæp. laudat. Excell. Dn. Becmanus Notit. Dignitat. Illustr. tot. conf. Jacob. VVilh. im Hoff. Notit. S. Rom. Imp. Procer.*

CAPUT

CAPUT XIV.

De Consiliariis & Legatis.

§. 1.

QUia unius mens non est tantæ molis, qualis Reip. administratio, capax, ut verbis Taciti *lib.* 2. *Annal.* utar; & quia Principes grande Regiminis onus, quod per vasta & magna territoria se extendit, sua cervice ferre vix possunt; præprimis dum in amplitudine ditionum & Regnorum Principatus sui gloriam quærunt, ideò necessarii Principibus adjutores & officiarii, qui negotiis Principum gerendis præficiuntur; & totum Principem seu Rempubl. repræsentant. Tales præcipuè *Consiliarii* & *Legati*.

§. 2. Etsi etiam Princeps tam prudens sit & expeditus in Consiliis, qualem optamus; nimium tamen prudentiæ suæ tribuere non debet, ita ut sine consiliariis Rempubl. administret. Quia

prudentia humana anceps quiddam & lubricum, ideoque perpetuis quibusdam quasi fulcris & subsidiis eget. *Nemo* quippe *potest omnia complecti scientia sua*, ait rectissime Tacit. *lib.* 3. *annal.* Nemo est tanta prudentia præditus; ut majori non indigeat, & sapientissimo cuique deest facillimum consilium. Verissimum quod Cobares *apud Curt. lib.* 7. monet: *Naturam humanam hoc quoque nomine pravam & sinistram dici posse, quod in suo negotio hebetior quisque sit, quam in alieno; eorum autem, qui sibi suadent, turbida esse consilia.*

§. 3. Est *Consiliarius* persona publica, salutaria Reipubl. vel Principi suggerens, eumque in administratione adjuvans. In *electione* Consiliarii, quia reliquis exemplo sunt, spectanda pietas, fidelitas, rerum politicarum prudentia, & præprimis accurata Reip. cui consulere debet notitia. Ad consilium enim in Republ. dandum, caput est, nosse Rempubl. & ex hac ratione *incola peregrinis*

præferri solent. Cum tamen virtus cujusque, non patria æstimari ac respici debeat. *vid. latè Keckerman. Discurs. Polit. de Consil. quæst.* 5. *&* 11. *& judiciosiss. Lipsium lib.*3. *Polit. c.*4.5. *coll. Burgersdick. Ideam Doctr. Polit. c.* 7. Item fidelis erga Principem in Consiliario requiritur affectus, & ut privata non posthabeat publicis. *Qui alterius Principatum in manu quasi habet, nunquam de se, sed Principis commodo cogitare debet. Keckerman. all. l. quæst.* 12. Nullum etiam est officium tam sanctum atque solemne, quod non avaritia comminuere ac violare soleat. *Cic. Lips. all. l. cap.* 6. Perfecta etiam requiritur ætas, & quidem à nonnullis senilis, eo quod *prudentia non veniat ante pilos.* Sic est, senectus venerabilis est, sed non tam quæ crine, sed quæ virtute una albescit, quæ ad jubendum suadendumque plurimum valet. Sed opinio sæpe de aliquo, plebem magis movet, quam res aut ratio ipsa. Vera verò demum cani-

ties dicitur, quæ in canis cogitationibus ac operibus fulget. Et si anni præcisè in dandis honoribus numerandi essent, sæpe magna virtutis indoles prius exstingueretur, quam prodesse Reipub. posset. *Virtus*, inquit Cic. *ætatem legitimam, admiratio virtutis autoritatem facit*. Imò reperiuntur quandoque, qui Demophilo similes, qui in juvenilibus Juvenis, in consiliis Senex erat. *Vid. Tiraquel. de Jure Primogenit. præfat.* Commendatur, ut Senibus adjungantur Juvenes, quemadmodum juxta annosas arbores plantas ejusmodi novas inserere juvat, quæ post interitum vetustarum & mortuarum, in locum earundem succedant. *Tholosan. de Republ. c. 6.*

§. 2. Axioma Polit. de Electione Consiliariorum ita sonat: *Principem adhibere lateri suo debere viros doctrina, virtute, experientia, fide probatos. Et ad ornatum Palatii credimus pertinere, aptas dignitatibus personas eligere: quia de claritate servientium crescit fama dominorum.*

rum. Tales enim provehere Principem decet, ut quoties Procerem suum fuerit dignatus aspicere, toties se cognoscat recta judicia habuisse. cum Lips. *ex Cassiodoro, in not. ad cap.* 10. *lib.* 3. *Polit. init.*

§. 4. Pro varietate rerum, de quibus Consilia capiuntur, varii sunt quoque Consiliarii: Unde Ecclesiastici, Politici, Aulici, Camerales, Consistoriales, Militares, Commerciorum &c. *de quib. vid. passim Polit. & Althus. Polit. c.* 27. Eminent in aula, tanquam luna è stellis minoribus, *Ministri Status Intimi*, qui Statum publicum sustinent, principaliora ac nobiliora corporis Principis membra. *l.* 5. *C. ad L. Jul. Majest.*

§. 5. In consultando permissum esse debet Consiliariis *liberè mentem suam aperire*; rejecto illo Harpagi: *Mihi placet, quicquid Rex facit.* Magnum in Consiliario atque utile munus, ut libera ei sit lingua. Rectè olim Solon: *Consule, non quæ suavissima, sed quæ optima sint.*

Sed

Sed hanc nimis raram in aulis Principum dicit virtutem Lipsius *in not. ad lib. 3. Polit. cap. 5.* addens ex Seneca *lib. 6. de benefic. cap. 30. Vis scire cujus rei inopia laborent magna fastigia? quid omnia possidentibus desit? ille qui verum dicat.* Sciant Consiliarii se libere cum Rege loqui posse, sed non de Rege. *Lips. all. l.* Modestia tamen libertas hæc temperanda. Etsi etiam Consilia aliquorum malè ceciderint, eo nomine Consiliarii non statim culpandi, maximè si cum ratione conjuncta fuerint. In nullo enim errare, divinum potius, quam humanum est.

§. 6. Sed *an Consiliario sufficit, si in consiliis respiciat, quid ex usu Principis?* Resp. Semper quidem respicere debere, quid ex usu sit Principis, ita tamen, ut & suæ, & Principis conscientiæ ratio habeatur; ita utilitatem intendere & respicere debet, ut ratio recta semper adsit, & pro fundamento eam habeat, qua & conscientia placatur. Princeps

ceps itaque in conſcientia ſecurus eſſe poteſt, etiam in re injuſta, ſi de injuſtitia rei informatus non ſit, nam peccatum omne redundat in Conſiliarios.

§. 7. *An tenentur eventum Conſiliorum præſtare?* Negatur, ſufficit enim probabilis ratio data effectus ſequuturi, ſeu quod probabilem rationem Conſilii ſui habeat. Ad eventum præſtandum illos adigere eſt (1) ultra humanum modum, quia rerum ſucceſſus in hominum poteſtate non ſunt. (2) Principi quoque & Reip. pernicioſum; viri cordatiores enim ſe tali miniſterio adſtringi non paterentur, quia ad talia præſtanda ſe impares eſſe intelligunt. In Oriente tamen apud Turcas ita moris eſt, ut ad eventus præſtandos miniſtri adſtringantur. Atque hinc tot cædes Magnorum Viziriorum in hodierno bello Turcico. Quatenus teneantur ex conſilio imperito latè & eleganter deducit *Magnif. Dn. Cruſius, Anteceſſ. Duisburgenſ. primar. in Tract. de Obligat.*

gat. ex Consilio part. 2. Considerat. 2. tot. quorsum Lectorem brevitatis amore remitto.

§. 8. *Legati* sunt *Ministri Principis s. Reip. ad negotia publica peragenda ad exteros missi.* Mittentis hi Majestatem, quanta in comparatione ad alterius Majestatem intelligi potest, repræsentant. Et hinc eodem loco habendi in territorio ejus, ad quem mittuntur, quo haberentur, si ipsi venirent, mittentes.

§. 9. Suscipiuntur Legationes vel propter *negotia* v. g. bellum indicendum, inducias faciendas, pacem cudendam, fœdus ineundum, matrimonium contrahendum, & ejusmodi alia. Vel *ex officio* ad quod obstricti, qualis legatio Hispaniarum Regis ad recens creatum Pontificem, propter Regna Siciliæ & Neapolis. Vel *Honoris gratia*, ad gratulandum vel condolendum. *vid. Perez. ad Tit. C. de Legat.*

§. 10. Differunt à Legatis *Nuncii*, qui tantummodo mandata perferunt, aut

aut nunciant aliquid. *Residentes*, qui negotia tractant, sed non perficiunt; qui sunt instrumenta communicationis inter Principes seu Respubl. & una vincula amicitiæ inter utrasque, quod exinde patet, quia gliscente bello *Residentes* avocantur. *Commissarii*, qui mittuntur à Principe ad Subditos. *Deputati*, qui mittuntur à Subditis ad Principem. Verum & in his nominibus varietas utendi pro arbitrio Principis aut Reip. est; Potest enim sæpe qualitas interna i. e. facultas ad expedienda negotia impertiri sine qualitate externa, pendent enim hæc omnia à voluntate mittentis, finesque suos habent, vel ut parcatur sumptibus, vel ut prærogativæ contentio vitetur. Legatus Pontificis, si Cardinalis, vocatur *Legatus à Latere*; si alius, *Nuncius Apostolicus* dicitur; non alia fortè ex causa, quam quia aulæ Romanæ sic placuit. Vocantur & *Legati nati*, qui cum dignitate, quam acquirunt, fiunt ipso jure *Legati*, qualis

lis olim Archiepiscopus Cantuariensis *c.* 1. *x. de Offic. Legat.* it. Eboracensis *c.* 1. *x. de Appellat.* Bituricensis in Aquitania superiori, & Remensis in Francia. *Ziegl. de J. Maj. lib.* 1, *c.* 32. §. 4. *& seq.* Salisburgensis in Germania *Bert. de Germ. lib. II. c.* 3.

§. 11. Quia repræsentant personam Principis, hinc fluit Legatos esse *inviolabiles.* Principis enim character semper inviolabilis, quia est Vicarius Dei, E. & Legatorum, qùia quasi Vicarii Principum. Ergò offendere, occidere, contumelia aut damno afficere non magis eum licet, quam ipsum Principem. *conf. l.* 17. *ff. de Legat. Ziegl. all. l.* §. 13. *& seq. Grot. de J. B. & P. l.* 2. *c.* 18. §. 4. 5. *& seq.* Et quidem *ultra jus commune* sunt inviolabiles ex persona mittentis i. e. etiamsi peccent, violari non possunt. Alias enim nihil singulare præ privatis haberent, omnes quippe de jure inviolabiles sumus.

§. 12. Idem, quod de Legato dictum, dicen-

dicendum de *Comitibus*, *Ministris*, *famulis* & *rebus* eorum. *Legatus* enim totus sanctus, ac proinde omnia etiam ad Legatum pertinentia. Si inter *Ministros* Legati aliquis delictum commiserit, graviter controvertitur, num ad Principem territorii, in quo degit Legatus, an ad legatum pertineat vindicta publica? Egimus de hac *Cap.* 8. §. 64. 65. *Munera* discedentibus offerri solent in honorem mittentis. Quæ attendenda in electione Legati, item quid Legato observandum, & qualem se gerere debeat, latè & insigni exemplorum congerie exponit Frider. de Marselaer *Tract. de Legatis. tot.*

§. 13. Cum omnium officiariorum & aulicorum communis finis sit gratia Principis: In hac enim assequenda omnium laborat scientia, omnis desudat labor. *vid. Meisner. Inst. Aulic. c.* 2. Optimos & tutissimos, ad aucupandam Magnatum gratiam modos, esse veræ pietatis & reliquarum §. 3. *enarr.* virtutum studium,

ſtudium, Pii aulici exemplis ſuis comprobant. Deus piorum Principum animos piis aulicis conciliat *Dan.* 1. *v.* 9. *Tob. ult. verſ. ult. coll. Exod.* 11. *v.* 3. & *cap.* 12. *v.* 36. *Eccleſiaſt. cap.* 6. *v.* 12. Salomon *Prov. c.* 22. *verſ.* 11. *Qui amat munditiem animi, pro gratia labiorum Ejus, Rex amicus Ejus futurus eſt.* Pietatem enim qui amat, quæ pia ſunt, etiam profert; pia quoque ſuavia piis. *vid. & Eund. cap.* 15. *v.* 9. præprimis inſpice Davidis *Pſal.* 101. *v.* 5. 6. Denique imitatione non indignum illud Senecæ monitum: *Eſto ſermone affabilis, acceſſuque facilis: vultu, qui maximè populos demeretur, amabilis: æquis deſideriis propenſus, nec iniquis acerbus.* & illud Cic. *Quantò ſuperior es, tantò te ſubmiſſius geras.* Hæcque etiam à Viris Illuſtribus & Magnis fieri ſumma cum laude, notum. At quomodo inſcitiam, ſtoliditatem & inhabilitatem ſuam ad vitam aulicam produnt commiſeratione digni, qui quantò minores in aula ſunt, tantò majores

&

& arrogantiores minoribus ſe gerunt & ambas inflant buccas; profectò, ſi docti forent & ſapientes, humaniores eſſent. Et plerumque ejusmodi arrogantia ſe prodit, ſecundum tenorem notiſſimi proverbii: *Aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum. conf. Sapientiſſ. Regum Salomonem Proverb. cap.* 30. *v.* 22. 23.

§. 14. Cum nulla converſatio difficilior aulicâ, ſors cum prudentia in aula miſceatur, cumque non procul à fulmine ſint, qui non procul à Jove, atque ſecundum commune proverbium quandoque *tollantur in altum, ut lapſu graviore ruant*: Hinc qui alteri à Principibus & *Miniſtriſſimi*, ut quidam loquuntur, ſunt, cauti & circumſpecti eſſe debent, ne in ſublimi illo dignitatis gradu, qui multorum odiis patet, gradus ad ruinam parentur; ipſa enim aulica vita multis caſibus expoſita. Incedendum Miniſtris aularum per ignes ſuppoſitos cineri doloſo. Præprimis, evenien-

evenientibus hisce casibus in Republ. cum Viri Magni & egregii infortunio, vel mala gratia Imperantium, statu suo excidunt, culpandæ vulgi invectivæ in tales, juxta tritum illud: Wan ein grosser fält/ will ein jeder über ihn her. Recte Seneca *Consol. ad Matrem Helviam*, *cap.* 13. ubi inquit: *Si magnus vir cadit, magnus vir jacet. Non magis ille contemnitur, quam cum ædium sacrarum ruinæ calcantur, quas religiosi æque ac stantes adorant.* Lapsum verò, plerumque superbia præcedere solet *Proverb.* 11. *v.* 2. Eleganter hoc exprimit Erasmus: *Ut venti desituri vehementissimè spirare solent; ita mortales cùm maximè efferunt sese, tum proximi exitio solent esse. Inquinat egregios adjuncta superbia mores. Claud. Res secundæ faciunt homines insolentiores. Cic.* Vel etiam Fati hujus causa potest esse hæc: quia aut satietas capit illos, qui omnia tribuerunt; aut hos, quia nihil reliquum est, quod capiant. Vel etiam malitia inimicorum,

corum, æmulorumque *Sejani* casus, qui Ministrissimus erat Tiberii Imper. humanam imbecillitatem egregiè ob oculos ponit, monetque, nusquam inflatè se gerere. Hic ex summo felicitatis culmine deturbatus, capite multatus, in Gemonias projectus est; cumque totum triduum populus ludibrio habitum in Tiberim misit: Liberi ejus ex SenatusConsulto necati. Filia, quam pactus erat Claudii Imperatoris filio, constuprata prius à carnifice, quasi impium esset, virginem supplicio perire. *Tacit. l. 5. an. 9. vid. Inst. Viri Priv. Publ. & Aul. lib. 2. c. 21. & seq.* Felices itaque, qui in medio cursu felicitatis secedunt. *Felicitas, in ipsa felicitate mori.* Sen. Rectè Diogenes *Principibus perinde atque igni utendum esse dixit: neque nimis propè accedendum, ne exuraris, neque nimium procul recedendum, ne rigeas. Nemo potentes aggredi tuto potest.* Sen.

§. 15. Multa etiam quandoque in aula dissimulanda. *Imo non licet hominem*

 esse

esse sæpe, ita ut vult, si res non sinit. Terent. Et fortè non incongruè hanc in rem quadrabit illud Senecæ: *Sapiens colaphis percussus quid faciet? quod Cato, cum illi os percussum esset; non excanduit, non vindicavit injuriam; ne remisit quidem, sed factum negavit, majore animo non agnovit, quam ignovisset.* Illud Claudian. *exeat aulâ, qui volet esse pius*, cum Dn. Becmano non simpliciter verum esse, dicimus: Cùm etiam in *casulis abjectissimis* dominentur vitia, quamvis impotentius. Neque aula, sed toto mundo exire debet, qui perfectæ pietatis & quietis studiosus esse cupit. E contrario osores aularum sunt osores dignitatum & magnitudinis, quia fontem, ex quo promanant, odio habent & deserunt. Nunquam enim, qui aulas odit, magnus fuit. Eleganter talem osorem aulæ ob oculos ponit Seneca:

Stet, quicunque volet, potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies.

Obscuro

Obscuro positus loco
Leni perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.
Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebejus moriar senex.
Illi mors gravis incubat,
Qui, notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.

CAPUT XV.

De Jure circa Sacra.

§. I.

GRaviter Plato *Dialog. de Legib. l.* 4. *Ut Civitatem nostram stabiliamus, ante omnia Deus invocandus, obsecrandusque, ut nos exaudiat, & nobis propitius sit ac benignus, ad nos veniat, legesque ipse nos doceat, nostramque civitatem adornet.* Et deinde addit, *homines ad felicitatem suam dirigi non possent, nisi Deus moderetur & quasi manu ducat.*

Itaque meritò prima Principis cura eo tendere debet, ut is devotè colatur, cujus in terris Vicarius est. Nec unquam visa civitas templis & Diis destituta, licet quamplurima alia ad beatitudinem civilem facientia defecerint. *Lipf. in not. ad cap.* 2. *lib.* 4. *Polit. & lib.* 1. *c.* 3. Hinc & Athei, quia sine probabili ratione genus humanum turbant & violant, capitaliter puniuntur. *Grot. lib.* 2. *cap.* 20. §. 46. *n.* 4.

§. 2. Cum itaque Religio sit Rerumpublicarum vinculum, fulcrum & fundamentum, coagulum item omnis societatis & fundamentum legislationis, *Grot. l.* 2. *c.* 20. §. 44. *n.* 3. utique is valdè peccaverit, tum in commoda publica, tum in Majestatem Imperantium, qui eam in alterius, quam imperantis tutelam collocaverit. Nam cui salutis publicæ summa commissa, ei quoque committi ea debent, sine quibus salus Reip. procurari & obtineri non potest. *conf. Aristot. l.* 7. *Polit. c.* 8. Ecclesia enim est in Republica.

§. 3. De-

§. 3. Definimus Jus circa Sacra, *quod sit publica veram Religionem introducendi & introductam asserendi potestas.*

§. 4. Causa efficiens hujus potestatis nemo est nisi *Deus.* Deus enim Magistratibus custodiam legis Divinæ & quidem utriusque tabulæ commisit, *Deut.* 17. *℣ſ.* 18. 19. *& Josua* 1. *℣ſ.* 7. *&* 8. 2 *Reg.* 12. *℣ſ.* 5. *& seq. Esaia* 49. *℣ſ.* 23.

§. 5. Potestas hæc est vel *interna* vel *externa.* Illa circa ecclesiastica exercetur ecclesiastice, sc. prædicando & interpretando verbum divinum, administrando Sacramenta, &c. & quidem à Ministris Verbi Divini. Hæc scil. *externa*, exercetur quidem, non ecclesiasticè, sed modo quodam civili, consistitque in directione Sacrorum; & hæc est, quæ Principi seu Reipubl. competit, & ad humanum imperium spectat, ita tamen ut ordinatio fiat secundum verbum divinum.

§. 6. Ad hanc pertinet (1) *Jus Religionem in Rempubl. introducendi*, modo

non sit falsa, hæc enim subditis imperari non potest. Imperium quippe, quod directè divino imperio contrariatur, aut fidem à Deo datam violat, obligationem non parit. Deo magis obediendum, quam hominibus. Unde rectè Augustinus: *Si aliud Imperator, aliud jubeat Deus, quid judicatur? Major Potestas Deus, da veniam O Imperator!* *conf.* §. 8. *Cap.* 22. Abhorremus hic ab illorum sententia, qui religionum tuentur indifferentiam. *Vid. Dn. Pictetum Profess. Genevens. Diss. de Religione*, in qua disputat adversus eos, qui Religionum tuentur indifferentiam, *an.* 1691. *edit.*

§. 7. (2) *Jus mutandi* i. e. ut una Religio sit dominans seu publica præ alia. Interim tamen plures Religiones in una Republ. publicæ & dominantes esse possunt, uti in Imperio nostro Rom. Germanico tres publicæ sunt: Pontificia, Lutherana & Reformata. In Gallia antea duæ, Pontificia & Reformata.

Nec

Nec ſemper Principis Religio eſt publica; nam in Suecia olim Sigismundus Pontificius fuit, religio verò publica Lutherana. Sic Potentiſſ. Elector Brandenburg. Supremus Boruſſiæ Dux, Reformatus, religio vero publica fere eſt Lutherana. Et hinc caſus evenire poſſunt, quibus Princeps contra Religionem propriam pro religione publica pronunciare tenetur. *Signa* Religionis publicæ ſunt campanæ, quæ conventum publicè indicant. Unde in Republ. Belgica Religionibus aliis præterquam Reformatæ, hoc jus non conceditur, licet tolerentur. Simile jus turrium, quod itidem ordinariè ſignum religionis publicæ, denotat enim eminentiam.

§. 8. *Plures* etiam *Religiones in Republ. tolerandæ*, quia Religio non imperari, ſed ſuaderi debet; eſt enim pars libertatis intellectus, ſeu Philoſophicæ libertatis, qua credimus, quod intellectui noſtro conveniens. Chriſtus ipſe prædixit, ſemper fore ſectas & hæreſes

in ecclesia. *v.* 1 *Cor.* 11. *vers.* 19. *conf. plur. Rumelin. ad A. B. part.* 3. *diss.* 2. *Coroll.* 1. *& seq. & ib. Myler. in addit.* Aliud verò dicendum, si sint in Republ. Sectæ quæ nullam, vel absurdam & Societatem humanam turbantem religionem fovent: Unde Atheismus, auferens ex genere humano fiduciam, item Muhammetismus, vel Gentilismus, non tolerandæ. *Judæi tolerantur* in spem conversionis, *conf. cap.* 22. *§.* 10. Quamvis de his verum, quod Seneca dicit: *Deos neges an infames, perinde est.* Ejectione dissentientium in sacris, labefactatur Resp. exemplum præbet inquisitio Hispanica. Præstat E. dissidentibus exercitium quodcunque permittere, quam penitus cum pernicie Reip. ejicere. Florentissima enim nonnulla Europæ Asiæque Regna religionum varietati non parum vigorem & florem suum debent. Publicam verò dissidentium religionem, nisi status publicus & necessitas hoc exigat, efficere non erit opus.

opus. In novis discrepantibus admittendis Resp. cautæ esse debent, admissi verò tolerandi; quia his fidem semel dedit Respubl. quæ servanda. Nec obstat pessimum illud axioma, quod objici posset: *Hæreticis non esse servandam fidem*, natum an. 1415. in Concilio Constantiensi, approbante Sigismundo Imperatore; Respubl. enim seu Princeps, qui illam repræsentat, jura & actiones Reip. competentes exercendo, Vicarium Dei hisce in terris àgit; & hinc etiam ejus verba & promissiones firmitatem quandam divinam & immutabilem habere debent, ita ut cum fides data, data esse & manere debeat. Exemplum ex Sacris in Josua, qui fidem Gibeonitis, licet dolosè egerint, datam servavit. *Josua c. 9.* In Profanis Carolus V. omnibus, etiam hæreticis, fidem servandam esse duxit; & cum interrogatus esset à Ludovico Palatino Rheni, *cur Luthero fidem servaret*, respondit: *fidem rerum promissarum, etsi toto mundo ex-*

ſulet, tamen apud Imperatorem conſiſtere oportere. conf. §. 8. & 9. *Cap*. 19.

§ 9. (3) *Jus Perſonas Eccleſiaſticas conſtituendi*, qui ſubditos in religione ritè informant, & viam ad æternam ſalutem monſtrent. Quo facit *Nov.* 123. *c.* 1. & *Nov.* 137. *c.* 1. Per conſequens (4) etiam *removendi.* (5) *Hæreticos coërcendi*, *Ziegler. de Jur. Majeſt. lib.* 1. *c.* 16. (6) *Jus in res & bona Eccleſiaſtica*, ita etiam, ut tempore neceſſitatis alienari & ſecularifari i. e. denuo profanari poſſint. *vid. Auctor. Anonym. de nat. ac jure bonor. Eccleſiaſt.* unde vaſa aurea & argentea conflari ad redimendos captivos poſſunt. *l.* 21. *in fin. C. de SS. Eccleſ. Nov.* 65. & 120. *c.* 9. *junct. c.* 10. *cauſ.* 12. *quæſt.* 2. *c.* 13. Tradit *Victor l.* 1. *de Perſecut. Vandalor.* Carthaginenſem Epiſcopum, ut captivos à Vandalis & Mauris liberaret, vaſa aurea ſimul & argentea vendidiſſe. Unde & notandi proceſſus, tempore belli inquirendi in vaſa aurea & argentea; item ampla bona Eccleſiarum.

clesiarum. Cum publica sint, eadem etiam publicæ utilitati postulante necessitate adhiberi possunt. (7) *Jus templa adornandi*, quia sunt loca, ubi sacri ritus peraguntur. (8) *Ferias & Festa indicendi*, qualia Jejunia publica, festa Eucharistica, & similia à Principibus instituta. (9) *Jus Concilia convocandi*, ad deliberandum de rebus Sacris. Sunt hæc vel *Provincialia*, quæ in certa regni provincia habentur. Vel *Nationalia*, quando clerus totius alicujus Regni congregatur. Qualia Concilia Gallica, Anglica, Hispanica. Et *Universalia* quæ constant ex congregatione Cleri totius Ecclesiæ. Qualia fuerunt Concilia Oecumenica IV. priora.

§. 10. (9) *Jus Advocatiæ* i. e. Jus defendendi Ecclesiam, quod à Politicis Pontificiis pariter ac Nostratibus admittitur. A nostratibus Euangelicis eò promptius, quia si Princeps jus totum circa Sacra apud nos habet, uti verissimè habet, eidem quoque competit

jus Advocatiæ. Sic Imperator Romanus vocatur *Advocatus Ecclesiæ* i. e. defensor ejus. Angliæ Reges in specie *Defensores Fidei* salutantur. Cui occasionem dedit liber ab Henrico IIX. Rege Anglorum, contra Lutherum editus, quo judicium illius *de Sacramentis & Indulgentiis* reprehendit; Quod Leoni X. perplacuit, Henricumque illum de se & Ecclesia tam benè meritum, *Defensoris Fidei* elogio honorificè decoravit anno 1521. Regni Henrici XII. Sed cum progressu obedientiam Pontifici præstandam exsueret, ne Titulum hunc, quo maxime delectabatur, Pontifici amplius debere videretur, Statuto Parlamentario sanciri curavit, ut titulus *Defensoris fidei* in perpetuum Regiis Titulis annecteretur. Unde in hodiernum usque diem Titulo hoc gaudent. Nomen certe cum omine habet, Tituloque hoc verè gloriatur, hodiernus Incomparabilis ille Heros & Magnæ Britanniæ Monarcha WILHELMUS III.

§. II. *Jus*

§. 11. *Jus erigendi Academias.* Singularia jura, quibus Docentes & discentes in Academiis gaudent, recensentur in famosa *Authent. hab. C. ne fil. pro patre.* Universalis horum causa (1) quod à studiis in remp. universam evidentissima redundent commoda. (2) Respectu Academicorum, quod *amore scientiæ veluti exsules fiant*; & *quis eorum non misereatur?* Quis Scholarium miserias enarrare poterit? Exilio quid gravius? Imò eleganter pariter ac verissimè *Excell. Dn. Zaunschlifferus, Antecess. Marburg. Clariss.* **Ein Student ist wie ein Schaaff/ so durch die hecken gehet; an allen orten wird er gerupffet.** *Disput. Jur. ad auth. hab. sect. 2. §. 2. conf. Richter. ad Authent. hanc. it. Bechman. de Privileg. Studiosor.* Cætera jura Imperantium circa Sacra, vid. ap. *Tabor. de Regim. Imperant. Ecclesiast. sect. 2. Grotium de Imper. Summar. Potest. circa Sacra. Et Ziegler. de J. Maj. l. 1. c. 13. 14. 15. 16. usque ad 23.*

§. 12. *Subditi* etiam de Religione sua disserere & disputare possunt. Id enim est Deum confiteri coram hominibus, & fidei suæ rationes reddere; Aliique ita de mente nostra informantur, & fructu suo colloquia talia nonnunquam gaudent. Cum *temperamento* tamen ut fiat, necesse est, sine acerbitate; Dei causa alias enim magis prostituitur, nec homines inde meliores redduntur; sed potius obdurantur, & suæ unusquisque opinioni magis magisque insistit. Unde & laudabiliter Sereniss. Germaniæ Principes passim Edictis publicis cacoëthes hoc traducendi & condemnandi partem adversam, coërcuerunt. *vid. Brunneman. de Jur. Ecclesiast. l.* 1. *c.* 2. §. 32. & Grotii judicium de modo hoc disputandi *de J. B. & P. Prolegom.* §. 52.

§. 13. *Bona Ecclesiastica* quam maximè etiam in Republ. necessaria, ad sustentandos Ecclesiæ Ministros, pro Republ. enim & quidem salute æterna singulorum laborant. Hæc licet quando-

que

que ampla ſint, ampla quoque eorum functio, quia in ſalutem generis humani directa. Quoad exemptionem Theologorum à muneribus publicis, *conf. Nov.* 123. *cap.* 5. *l.* 52. *C. de Epiſcop. & Cler.*

§. 14. Theologi etiam ratione dependentiæ i. e. quatenus res ex Jure Divino deducendæ, ſe rebus Politicis admiſcere poſſunt. *conf. l.* 1. *C. de Epiſcopal. audient.* Extra hos limites obſervandum ſequens axioma Politicum: *Reipubl. intereſt, impermixta ſervari vitæ genera.* Et hinc è contrario nec Politicis licet, ſe immiſcere rebus Theologicis, niſi ratione dependentiæ ex Legibus Divinis. Nec Militibus intercedere rebus Civilibus, nec opificibus mercaturæ, nec mercatoribus rei ruſticæ.

CAPUT

CAPUT XVI.

De Bello.

§. 1.

AD Rempublicam & jura Reip. & subditorum tuenda, amissa recuperanda, injurias illatas vindicandas, & ex jure perfecto debita asserenda, si per intermedias personas, Legatos & Plenipotentiarios in his satisfactio frustra quæsita, & amicabilis compositio & concordia vane tentata, *Bella* adhibentur. Nec enim Principibus gladius datus est, ut solas suorum inter se injurias vindicent, sed & ab exteris illatas. Nam justa sunt bella honestis modo de caussis suscepta. *Jacob. A. R. don. reg. l. 2. p. 46.*

§. 2. Describimus *Bellum* hodiè, *quod sit Status duorum pluriumve populorum per vim concertantium*. Quia enim nunquam ulla gens tam quiete possessione sua uti potuit, ut non identidem vel à vicinis,

vicinis, vel à longius dissitis lacesseretur, factum hinc est, ut gentes ferè omnes communi quasi consensu, necessitate exigente, in leges quasdam convenerint, juxta quas bellum, si quod inter eas exortum fuerit, geri deberet. Hinc propter istas leges & jura, quæ merito jure gentium nituntur, ipsum etiam bellum Juris Gentium esse non inepte dicetur. *Ziegler. de Jur. Majest. lib.* 1. *c.* 33. §. 14. Quod Ergò Hermogenianus JCtus *l.* 5. *ff. de J. & J. Jure Gentium bella introducta esse*, dicit, accipiendum de certa bellorum forma. Cum enim nondum gentes fuerunt, & genus humanum adhuc in tenui familia constitit, jam tum bella meditata, & necem sibi inferre studuerunt mortales. Exemplum in Abele & Caino. Et hinc omnis sine dubio bellorum origo repetenda, ita ut ab initio singuli, postea familiæ, hinc civitates, postea integræ gentes se invicem bello persequi cœperint. Ipsa vox *belli* hoc quodam mo-

do indicare videtur: Dicitur enim, uti ait Scaliger, *Bellum, quia ab initio fuit duellum, à duobus. Nam licet multi sint milites, duæ tamen partes sunt, & inter duos tantum primum bellum fuit. l. 3. poet.* 90. *add. H. Grot. l.* 1. *c.* 1. *n.* 1. *& seq.* Quanquam prima belli mentio fiat *Genes.* 14. probabile tamen ex venatione Nimrodi & Statu antediluviano bella antea gesta fuisse.

§. 3. Personæ quæ bellum gerere possunt, sunt soli illi, qui tenent in Republ. *Summum Imperium*: hi enim Judicem nullum alium superiorem agnoscunt, & bella incipiunt, ubi judicia deficiunt. *Fermè omnium populorum legibus cautum esse, ne bellum geri possit, nisi auctore eo, qui summam in Civitate potestatem habeat*, ait *Grot. l.* 1. *c.* 3. §. 4. hinc in Polyarchico statu penes optimates, in Democratico vero penes populum ejusque Magistratus belli jus est. *Privatis* E. denegatur, quia judicem adire possunt, & privatorum

rum conflictiones degenerant in duella, quæ Principum auctoritatem spernunt, dum privati sibi ipsi jus dicunt. Et insuper neutiquam licita & approbanda, quia constant (1.) *Inexcusabili audacia*, qua homo sine necessitate se in discrimen vitæ & æternæ salutis conjicit. (2.) *Inaudita feritate*, cum non tantum quis in suum, sed & alienum corpus cum rabie sævit. (3.) *Maxima injustitia*, quia levissima injuria utplurimum morti æquiparatur. (4.) *Horribili superbia*, dum in morte proximi temporali, imò æterna, gloria captatur. Unde non nisi ab impiis & Religione Christiana plane aversis approbari possunt. Laudabiliter hinc in benè constitutis Rebuspubl. severissimis Edictis prohibita.

§.4. Nec duella ab Imperantibus permitti possunt, quia indicant negligentiam in administranda Justitia. Potest verò bellum jam inter Populos flagrans, in singulare duorum pluriumve duellum

seu

ſeu certamen de ſumma rei dimicantium, committi. Hac ratione enim ingens, quod utrique Reipubl. imminet, malum averti poteſt. Bellum quippe omnium malorum colluvies. Et quamvis etiam ad effugiendam omnem ſanguinis profuſionem melius, quovis meliori modo tranſigere, quam ſanguinolentum hoc remedium adhibere; ſi tamen pax & tranquillitas publica aliter impetrari nequeat, ex duobus malis eligendum minimum. Minimum vero hic erit, melius eſſe unum pro Republ. mori, quam totam Remp. extremo periculo & ruinæ exponi. Pro privato etiam duello haberi nequit, quia publica auctoritate nititur, & pro integro populo & Republ. ſuſcipitur. Ideòque vocari poteſt *bellum repræſentativum*. Tale in Sacris duellum ſeu conflictus Davidis cum Goliatho. 1 *Sam.* 16. 17. qui nomine utriusque populi gerebatur. In profanis *trium Horatiorum & totidem Curiatiorum*. Improbantur

probantur ex eo, quod ſalus Reipub. fortunæ privatorum ſubjiciatur, quod & ipſi Albani poſt pugnam agnoverunt, querentes, *tribus militibus fortunam publicam commiſſam fuiſſe* ap. *Liv. lib.* 1. Etiam vana dicuntur eo, quod victi rarò in fide perſtent: in exemplum itidem adducuntur Albani, qui mox fidem datam fregerunt, unde & Alba diruta, Metius Suffetius verò tanquam ruptor fœderis quadrigis in diverſum actis diſcerptus fuit. *Conf. plur. Dn. Schottel. de ſing. & antiq. German. jur. cap.* 28. §. 7. *& ſeqq.*

§. 5. Antecedit Bellum *publica indictio*, quæ fit vel per *Literas* vel *Fecialem*, vulgò Einen Heroldt. Et requiritur ad hanc utriusque conſenſus tam indicentis, quam acceptantis. Acceptio fiatne *expreſſè*, ut olim in bello Punico ſecundo à Carthaginenſibus; an verò *tacitè*, ſi ſcil. cauſis & gravaminibus belli ab altera parte non ſatisfiat, ſed prætereantur, non multum refert.

Nam

Nam qui causas belli non tollit, nec ad amicabilem compositionem ratione propositorum gravaminum se offert, consentire videtur in statum hostilem, tanquam ultimum inter Principes dirimendarum litium remedium. *conf. A. B. tit.* 17. Denunciatio hæc belli omissa, reddit bellum ex justa quamvis causa suscipiendum, injustum. *Vid. Grot. lib.* 3. *c.* 3. nam denunciatio hæc indicat, non privato ausu, sed publica auctoritate bellum geri. Ritum quem Romani in indicendis bellis observarunt habet *Liv. lib.* 1. *c.* 4. Extra hanc denunciationem armati omnes prædones censentur, *l.* 19. §. 2. *ff. de Capt. & postlim. reversf.* Literæ seu *Manifesta*, quæ hodiè ad indicendum bellum mitti solent, prætensionis causas continent. Hodiè etiam *Repressalias* dici posse indictiones belli, putat *Gail. de Arrest. obs.* 2. *n.* 8.

§. 6. Concomitantur publicam indictionem *Belli causa.* Quæ dividuntur in

in *Justificas*, quibus Justitiam belli toti mundo ante oculos ponunt, idque vel juxta necessitatem Juris Gentium, vel ex intentione bellum indicentis. Et *Suasorias*, quæ sub ratione utilitatis movent, & quod expediat Reipublicæ. Non enim quævis causa & læsio ad bellum inferendum sufficit, sed oportet esse læsionem extremam & enormissimam. Quia bello semper inest vis extrema & enormissima, cædes, rapinæ: oportet ergo extremam læsionem præcessisse. *Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 1. & c. 22. Textor. Synops. Jur. Gent. cap. 16. Ziegler. all. loc.* §. 49. *& seq.*

§. 7. Non verò Subditis licet, quamvis de Justitia belli dubitent, bello & oneribus belli se subducere: quia Principi hàc in parte, utpote qui semper Reipubl. necessitatibus optimè consulere censetur, credendum. Accedit, quod subditi etiam in perpendendis causis facillime errare possint. Graviter hanc in rem *Dn. de Jena. de Rat. Stat.*

Diss.

Diss. II. *conclus.* 6. *Quid sit tot millibus imperare, singulorum precibus apte respondere, Gentium nationumque diversarum mores formare, Consiliis & Armis Sceptra juste regere, aut paucissimi satis anxiè examinavere, aut nemo.*

§. 8. Semper etiam in suscipiendo bello *necessitas* spectanda, quia totus status belli necessitate sustinetur, & ex necessitate dependet. Non ergo *sola commoda simpliciter* sufficiunt, quia non ex eo, quia mihi commodum inde eveniet, licebit alterum Jure suo fraudare. Nec *ad Religionem propagandam.* Nam si ab omni coactione intellectus liber esse debet, debebit etiam liber esse in cognitione rerum cœlestium. Actus enim intellectuales cogi non possunt. Hincque nec extrema coactione, qualis est bellum, induci potest. *Nihil tam voluntarium est, quam Religio,* inquit Lactant. *in qua si animus Sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla est. Et quis mihi imponet necessitatem, vel credendi,*

credendi, quod nolim; vel quod velim, non credendi. Inst. lib. 5. *c.* 19. conf. *cap. prac.* §. 6. *& seqq. it. cap.* 23. *de Subd.* §. 5. *& seqq.*

§. 9. Nec *ob denegatam sponsam*, licet in ignominiam Principis tendat, quia nunquam pro extrema læsione haberi potest, quia terrarum orbis fœminis abundat. Magnates verò adeò facilè invenire non possunt, quia matrimonia ex ratione status contrahunt.

§. 10. Minimè omnium *bellum expetendum* & non data occasione inchoandum, quia malorum omnium diluvium. Evenire potest bellicoso, & non nisi bella meditanti, quod juratus Romanorum hostis Hannibal in colloquio cum Scipione ante ultimum prælium dixit: *Ita aliena appetivimus, ut de nostris dimicaremus.* ap. *Liv. lib.* 30. *cap.* 30. Prorsus ut Turcæ & alii Germaniæ hostes nostra memoria experti, & Deo volente experientur. Tandem quoque & in fine admoneri possunt, quemad-

modum Senatus Romanus Legatos Carthaginensium pacis causa missos graviter & severe admonuit: *ut nim. tot cladibus edocti tandem Deos & jusjurandum esse crederent.* Et eædem querelæ apud Romanos de Carthaginensibus audiebantur, quas hac ætate audivimus de ruptis induciis Turcicis & Gallicis. Improbandum hinc etiam consilium illud veterum Regum; qui bellis non imperium sibi, sed populis suis gloriam quærebant, *Contentique victoria, imperio abstinebant.* ap. *Justin. l.* 1. *c.* 1. Quia gloria captata fuit ex calamitate aliena. *add. Althus. Polit. cap.* 35. *n.* 8.

§. 11. *Substantia belli* consistit in vigoroso milite. Neque semper militibus ordinariis Resp. uti potest, sed & *mercenariis*, iisque vel indigenis vel peregrinis. Et pro opera, quam Reip. præstant, remuneratione ac mercede sunt dignissimi. *Vid. Polit. passim, Keckerman. Curs. Philosoph. disp.* 35. *emblem.* 8. *& seq. Burgersdick. Ideam Polit. c.* 16. *& seq.*

seq. Besold. Synops. doctr. Polit. l. 2. c. 2. §. 3. 4. seq. Boxhorn. Inst. Polit. lib. 1. c. 2. & ibid. Horn. in observat. & praprim. Schonborner. Polit. lib. 6. c. 30. Lipsium Polit. lib. 5. cap. 11. & 12.

§. 12. Geruntur bella à Republ. ad consequendam suam satisfactionem, & non prius, usque dum hanc est consequuta, à bello desistere tenetur. *conf.* §. 1. *h. c.* In ipsa vero satisfactione quærenda æquissimum, etiam illorum habere rationem, quæ tempore belli contigerunt, & imprimis (1) Sumptuum in militiam erogatorum, quorum justissima præter rem, ob quam bellatum, restitutio. (2) Damnorum hostilium, devastatarum urbium & provinciarum. (3) Cautela de futuro exigenda, & vires omni possibili modo adimendæ, ut inposterum ita nocere non possit. *conf. cap. de Pace.* 18.

§. 13. Ad obtinendam in bello justam satisfactionem hostem offendere licet quovis meliori modo. Imò Jus

Gentium generaliter *hostem occidere* permittit, dum satisfactionem seu juris nostri persecutionem impedit. Verum cum moderatione jus hoc, quod victor mediante victoria in victos consequitur, exercere debet, habita ratione tum *personarum, senum, mulierum, puerorum* & *imbellis turbæ*: Horum enim truculenta occisio excusari nequit, imo pessimè semper audiverunt, qui sine distinctione talia commiserunt; quamvis maximè illos impunitos relinquat exorbitans belli licentia, ut ait Zieglerus *ad Grot. l.* 3. *c.* 4. §. 9. Imò omnia adversa & felicibus successibus contraria expertos esse, historici observarunt. Sic, post expugnationem celebrem & horrendam Magdeburgensem à Tyllio & Pappenheimio factam, Cæsareanos fortunam habuisse adversam, observatum.

§. 14. *Res* itidem *hostiles* Jure Civili quoque, prout dupondiis notum, per occupationem bellicam, utpote justum modum

modum acquirere & rapere licet, §. 17. *I. de rer. divis. Nec est contra naturam spoliare eum, quem necare honestum est*, ait *Cic. lib. 3. de offic.* Nec *Sacra* exemptæ *l. 36. ff. de Religios.* Magis verò gloriosum erit, si & in his victor jure suo, quod in omnia jure plenæ & absolutæ victoriæ acquirit, tam severè non utatur. Abstinendum itaque à violatione templorum, rerum sacrarum & ad religionem pertinentium. Deo enim Victor victoriam debet, templa verò aliave huc pertinentia Deo consecrata violans, mala & pessima gratia datam victoriam datori refert. Pariter parcendum *Sepulcris* & *Cadaveribus mortuorum*; Juris enim nostri prosecutionem minime impedire possunt. Suntque facta, quæ barbaricam, imò majorem crudelitatem sapiunt. Mortui etiam manere debent in eo statu, in quò decedunt. Unde nec Commodi cadaver uncis trahi potuit. hujusmodi certe Christianis nihil minus quam Christianis objici

poteſt illud, quod Darius Rex, cum Semiramidis ſepulcrum ex inſcriptione motus: *Quicunque Rex pecunia eguerit, aperto ſepulcro, quantum opus eſt, capiet*; aperiret, loco pecuniæ, intus invenit ſcriptum: *Niſi vir malus & avarus eſſes, mortuorum ſepulcra non commoviſſes.* Impium profectò eſt, urnas defunctorum aperire, diteſcendi cauſa. *Grot. l. 3. c. 5. & 12. §. 7.*

§. 15. Incidenter quær. *An incendiis vel miſſis incendiariis hoſtiles Regiones planè devaſtare liceat?* Reſp. Minimè, pugnat enim (1) cum natura belli, (2) cum celſitudine animi Principum, (3) facta ſunt de cauſa ſua deſperantium. Vix etiam ulla ſæcula tam horrendas devaſtationes, uti Hiſtorici obſervant, viderunt, quam præſenti bello Germano-Gallico à parte Gallorum, proh dolor! regiones florentiſſimæ ſunt expertæ. Jure Talionis in ſolo hoſtili idem licere, dubio caret. Quod enim tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & quod

quisque

quisque juris in alterum statuerit, ipse & eodem utatur.

§. 16. Nec *pudicitiæ Captivarum* violandæ & expugnandæ. Stupra enim, utpote in se mala, nulla necessitas bona facere potest. Ad exsecutionem quoque juris nostri, actus hi nihil conferre possunt.

§. 17. Nec *Veneno hostem tollere licet*, quia (1) non est bellicum, bellum enim est status hominum per vim certantium. (2) Fortitudo hac ratione opprimitur. (3) Victoria venenis parta infamat, ut refert *Flor. lib.* 2. *c. ult.* qui dicit, *Victoriam* talem *esse contra fas Deum, moresque Majorum.* i. e. contra naturæ legem, quam Gentiles *fas Deum* appellarunt. quæ *non scripta sed nata, quam non didicimus, accepimus, legimus: Verum à natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus*, uti loquitur Cic. *Orat. pro Milon. conf. Grot. lib.* 3. *cap.* 4. §. 15. (4) Gentes si non

omnes, certè meliores in id consense-runt, ne hostem veneno interficere liceat: ex ratione, *ne pericula in bellis nimia essent. Grot. all. l.* §. 15. Et credibile judicat Grotius, *à Regibus id profectum, quorum vita ab armis ante alios defenditur, à veneno minus quam aliorum tuta est, nisi defendatur juris aliqua religione & metu infamiæ.* Nec morantur nos exempla, quæ magno numero in contrarium afferri possunt; Nihilominus enim est contra Jus Gentium, si non universale, certe particulare Gentium Europæarum, & si quæ ad Europæ melioris cultum accedunt. Non parum corroboratur hæc sententia, quod in pluribus Rerumpubl. cultiorum Statutis militaribus expresse venena prohibita legamus. *Vid. Corp. Jur. Militar. recognit. Hoyer. ad Tit.* 3. Et in negativam ex Floro & Livio generosa Strenuorum Ducum multa exempla adducuntur. Qui ex Heroibus nostri ævi & sæculi silentio præterire possumus *Divum*

FRIDE-

FRIDERIC. WILHELMUM *Elector. Brandenb.* rerum geſtarum magnitudine verè MAGNUM. Hic in bello nupero Gallico *an.* 1673. cum transfuga quidam Gallus, *Villeneuve* dictus, ſe ſupremum tum temporis Militiæ Gallicanæ Præfectum *de Turenne* vel veneno, vel alia occulta ratione, interficere velle, offerret, hoſtem tamen licet ſatis infeſtum, illicitis hujusmodi armis tolli noluit, ſed miſſo nuntio, Turennium de inſidiis non tantum monuit, ſed & veneficum illum percuſſorem, quoad ætatem & habitum corporis, accuratè deſcripſit. Juſtis laudibus verè heroicam hanc virtutem extollit *Dn. Valckenier. Europ. perturbat. part.* 4. *p.* 489.

§. 18. Ex eodem ſine dubio quoque fundamento ad minuenda pericula bellica, expreſſis pactis aliquando gentes inter ſe ſuper omittendo certo genere globorum, armorumque, quæ impietatis alicujus ſuſpicionem habent, convenerunt.

venerunt. Exemplum hujusmodi conventionis præterlapſo bello Germano-Gallico Argentorati factæ an. 1675. ex art. 57. adducit *Dn. Kulpiſius Colleg. Grot. Exerc.* 11. §. 7. *conf. Dn. Zentgrav. Profeſſ. Tubing. diſſ. de armis in bello prohib.* §. 18. 19.

§. 19. *Stratagemata bellica licita*, obſervata diſtinctione, quam adducit Dn. Textor *Syn. J. Gent. cap.* 16. *n.* 5. *& ſeq.* dicens: *Bellum eſt ſtatus licitæ offenſionis hoſtilis, quia non ſola certatione per vim hoſti nocere permiſſum, ſed Stratagematibus etiam atque dolis*, juxta vulgatum illud: Dolus an virtus, quis in hoſte requirat: *modo tamen hoſtiles actiones alioquin non repugnent legi divinæ vel honeſtati naturali, hinc magicis artibus pugnare, aut hoſtem per veneni inſidias corruptis ad hoc hominibus interficere nefas eſt.* conf. *Dn. de Pufendorff de J. N. & G. lib.* 8. *c.* 6. §. 6. *Grot. lib.* 3. *cap.* 1. §. 6. *Forſtner. in not. Polit. ad Tacit. lib. an. p.* 368. *Lipſ. lib.* 5. *Polit. c.* 17. *VVaremund.*

mund. ab Ehrenberg. de Fœd. lib. 1. c. 2. n. 58. Alber. Gentil. de Jur. Bell. lib. 2. c. 3. & seq. Et Jacobum A. R. *Don. Reg. lib. 2. p. 48.* ſequent. *In ſtratagemate excogitando ingenioſus ſis, idemque honeſtus; Non parum hinc eſt ſubſidii, ſi adſit taciturnitas.*

§. 20. Non exiguum momentum ſucceſſibus bellicis addit, ſi gerantur (1) à μηδὲν ἀναβαλλομένοις, *nihil cunctando*. quemadmodum feliciſſime bella geſta ab Alexandro M. unde & legimus interrogatum Alexandrum, quomodo paucis annis tantas res adminiſtraſſet, reſpondiſſe; *Quia nihil, quod hodiè faciendum fuerit, in proximam diem diſtulerit.* Sic Cæſar contra Pompejum, *quamvis media hyems prohiberet, tempeſtate tamen ad bellum navigavit*: dixitque ad trepidum tanto diſcrimine gubernatorem: *Quid times? Cæſarem vehis.* Flor. *lib.* 4. *c.* 11. Item ſi gerantur (2) in hoſtili ſolo, juxta illud vetus axioma: *Regia laus eſt de alieno certare.*

Hosti enim tum duo incumbunt, (1) ut se defendat, & (2) offendentem impetat, cum alter interim non de suo, sed hostili jure tantum certet. *Multum interest alienos populere fines, an tuos uri exscindique sinas: plus animi est inferenti periculum, quam propulsanti*, dixit Scipio in Senatu Romano ap. *Liv. l.* 28. *c.* 44. Et hac ratione Sueci in Germania & Dania, Galli in Germania & Hispania, Turcæ olim, Cæsarei verò nunc in Hungaria profecerunt.

§. 21. Nec magnitudo exercitus semper facit ad reportationem victoriæ ab hostibus: Xerxis enim exercitus maximus fuit, nec tamen ideò Græcos superare potuit. Exercitus majores sæpe se ipsos consumunt: quod in expeditione Xerxis Artabanus Patruus ejus monuit; & Regem duo hostilia haud declinaturum prædixit: Nullum portum enim opportunum & commodum fore tantæ classi capiendæ, eamque proinde tempestatibus obnoxiam futuram;

ram; deinde, nullam regionem quoque tantam, quin famem ei ſit allaturus ob magnitudinem exercitus. Exercitus erat 2641610. virorum teſte Herodoto, *lib.* 7. *fol.* 457. *& ſeq.* quo majorem orbis non vidit. Juſtinus decies centum millia tantum, & claſſem mille ducentarum navium fuiſſe memorat. *lib.* 2. *c.* 14. Sic anno 1588. Anglis negotium fuit cum *claſſe invincibili* Hiſpanica, imperante Philippo II. hæc *invincibilis* dicta fuit à rerum omnium copia, quibus inſtructa. Militibus conſtitit fere 19000: Nautis 7049. Dynaſtis 220. Religioſis & Chirurgis 669. & toto numero exacte computata, hominibus 28239. navibus 150. ſed unius menſis ſpatio, quanta quanta erat, disjecta fuit, & quidem præcipue dirigente providentia divina. Etiam ex parte virtute Anglorum, quorum naves, immanibus & ſimul tardiſſimis navibus Hiſpanorum minores & agiliores, maxima damna Hiſpanis inferebant. Hac ratione olim Romani

Classem Carthaginiensium ad Insulas Ægatas superarunt, quia commeatu, exercitu & propugnaculis nimium armata & gravata; Romanorum verò prompta & levis. *Flor. lib. 2. c. 2. de bell. pun.* Sic eodem modo Belgæ, quia minores naves habebant, quas Avila Hispanorum Dux *Piscatorias* appellare solitus fuit, an. 1607. Duce Hemskerkio numerosam & à vicinis arcibus defensam Philippi III. classem in ipso sinu Gaditano feliciter superarunt. Similis ratio cladis Anglorum à Belgis acceptæ an. 1666. *Vid. Dn. Becman. histor. Geograph. part. 2. cap. 4. §. 16.*

§. 22. *Pecunia* dicitur *nervus belli*; ac quemadmodum sine nervis nec progredi nec agere quicquam homo potest, ita frustra sine nummis, militaribus istis manibus, hostes debellantur. Subsidium enim belli necessarium, sine quo miles nec vincere nec vivere potest. Superfluum erit adducere, quantas in exercitu seditiones denegata aut

dilata

dilata stipendia excitarint. Cum natura etiam miles pugnare non potest, quamvis fortis; utut hostes vincat, famem non vincet. Commeatu ergo opus; at unde ille, nisi pecunia præsto sit aut opes? *Vid. Keckerman. Curs. Philosoph. disp.* 35. *emblem.* 11. Nihil etiam tam munitum, quin pecunia expugnari possit, inquit Cic. & facile capitur castellum, in quod asinus auro onustus ascendere potest. Præsentis belli exempla forsan forent odiosa.

§. 23. Ex observationibus quoque Politicis monentur *Principes, ne præliis ipsi intersint.* Bello non modo & castris interesse, sed præesse possunt. Prælio verò seu aciei se suumque caput haud temerè credere debent. Non enim saltem suam, sed totius exercitus personam uni veluti ictui exponunt. Nam in salute Principis salus totius exercitus & Reipubl. sicque omnium consistit. iisdem ferè monet A. R. Jacob. filium suum *all. Tr. p.* 48. *Nec quibuslibet periculis*

riculis te objicies, sed omnium te saluti conserva, quorum major habenda cura est, quam tui. Quanquam negari non possit, singulariter Deum custodire Principes, & quidem magis, quam privatos. Certe eximia & admiranda providentiæ divinæ exempla in conservandis Regibus & Principibus, & nostra memoria vidimus, & quotidie videmus. De hac certus & olim Carolus V. pericula bellica fortiter sustinuit; & ideò Marchioni de Vasti ejus causa sollicito in obsidione Algeriensi, & monenti, ne se ita periculo exponeret, respondit: *Nunquam Cæsarem globo tormentario interfectum fuisse.* E contrariò vero Gustaphus Adolphus Sueciæ Rex in prælio Luzensi victor obiit; cujus obitum graviter deplorat *Alexand. Erskein. Orat. in Diar. Europ. contin. 3. inscript. Arminius Suecicus.* Uladislaus Hungariæ & Poloniæ Rex ad Varnam; Sebastianus Portugalliæ Rex in Africa periit; Franciscus I. Galliæ Rex prælio Ticinensi

Ticinensi captus; atque hi similesve casus maximis incommodis involverunt Respubl. quia in salute Principum, uti dictum, salus versatur omnium. Ideò & Israëlitæ Davidem egredi non permisisse leguntur, 2 *Sam.* 18. *v.* 3. *&* 21. *v.* 17. Rationesque reddunt (1) Davidem esse instar 1000. (2) metuendum esse, ne lucerna in Israële exstinguatur. i. e. exercituum jacturam facile reparari; at Rege cadente totam Rempubl. fluctuare.

§. 24. Si unus belligerantium vincitur, vincitur vel *bello*, vel *prælio*. Victoria *belli* est plena victoria, qua hostem eò adegimus, ut in omnibus nos, tanquam victores, agnoscere, & conditiones pacis offerre teneatur, vel oblatas accipere: estque modus, quo bellum finitur. *Bello* enim *vinci*, omnia in se continet, per consequens etiam *prælia*, quæ sunt partes belli. Et hinc apparet *victoriam prælii* non esse plenam, quia, qui prælio aliquando vicerunt, bello

bello deinceps ſuccubuerunt, vel ſaltem utrimque æquo Marte ab armis diſceſſum, aut in dubio bellum relictum. Exemplum in bello Tricennali Germanico, quo Proteſtantes, primis annis toti ferè proſtrati, vires recollegerunt, & glorioſam pacem impetrarunt. Sic Romani *bello* nunquam, multis tamen *præliis* victi. Sic Perſæ olim à Græcis *prælio* quidem, ſed nunquam *bello* victi, quia ſemper extra Perſiam certarunt. De Romanis quadantenus hoc confirmat Ofilii Calavii ſententia deprofligato à Samnitibus Romanorum exercitu ita diſſerentis: *Silentium illud obſtinatum, fixosque in terram oculos, & ſurda ad omnia ſolatia aures, & pudorem intuendæ lucis, ingentem molem irarum ex alto animo cientis indicia; aut ſe Romana ignorare ingenia: aut ſilentium illud Samnitibus flebiles brevi clamores gemitusque excitaturum.* ap. *Liv. lib.* 9. *c.* 7. Hannibal in Curia Carthaginenſium ſe non prælio ſolum, ſed & bello à Sci-

à Scipione victum esse, professus est ap. *Liv. lib.* 30.

§. 25. Deinde etiam in victoria attendi solet distinctio *Deditionis* in *simplicem*, quando victi se mero victoris arbitrio submittunt. Vulgò **auf gnad und ungnad**; & *Conditionatam*, qua victi victoris arbitrio & potestati se subjiciunt sub conditionibus, quibus singuli securitati suæ consulunt. Diciturque hodiè, **sich auf** accord **ergeben**. Et in hac initæ conditiones ab utraque parte accuratissimè observandæ; nec contra eas sine damno plerumque venitur, turpè etiam fidem datam fallere. Jus etiam victoris in victos non ita absolutum in hac, uti in simplici, sed conventionis lege definitum. Et eatenus saltem ex bonis devictorum victor acquirit; quatenus aut bello occupavit, aut per pacis tractatus post victoriam obtinet. Exemplis hujusmodi deditionis memorabilibus & præterita & præsens ætas flagrante bello abundat.

§. 26. Res

§. 26. Res hostium acquisitæ seu *præda*, non capientium, sed Reipublic. sunt, cujus sumptibus bellum geritur. Non enim Milites sibi, sed Reipubl. militant, adeoque nec sibi acquirunt, sed Reipubl. Moratiorum tamen Gentium moribus pars prædæ militibus conceditur, ad excitandos eò magis ad fortitudinem militum animos in aliis expeditionibus. Æquissimum etiam, ut iis, quibus dulce est pro patria & salute Reipubl. mori, quique fortiter defensionem ejus suscipiunt, pars rerum hostilium ob res bene gestas & pro fructu laborum concedatur. & quidem primariò *Duces Militiæ* ob res consilio & virtute, strenuè, fortiter & generosè gestas, muneribus & honoribus cumulandi. His enim tanquam stimulis & calcaribus virtutes & animi Mortalium ita instigantur, ut prius non nisi adepto summo honoris culmine desistant. *Conf. plur. Grot. lib.* 3. *c*. 6. §. 14. *n*. 1. & §. 17. *n*. 3.

§. 27. Sed

§. 27. Sed *an victor debita hostis victi exigere, & Jure Gentium debitores ad solvendum cogere potest?* Affirm. Quia in omnia bona devictorum, victori jus quæsitum, & sub hac universitate rerum comprehendi quoque nomina & obligationes, quis dubitet? Unde Albâ victâ, omnia Albanorum jura sibi vindicarunt Romani. Et Alexander M. Thessalos, ab obligatione centum talentorum, quam Thebanis debebant, postquam Thebanorum Dominus factus, jure victoriæ liberavit, & ipsis illa donavit. *Dn. Pufendorf. de Jur. Nat. & Gent. lib.* 8. *c.* 6. §. 23. *Grot. lib.* 3. *cap.* 7. §. 4. Huc referend. *Instr. Pac. German. art.* 4. §. *debita.* 47.

§. 28. Bellum imperfectum sunt *Repressalia.* Est verò Jus Repressaliarum, jus detinendi bona vel subditum alterius Principis seu Reip. ob denegatam nobis vel Principi nostro justitiam, donec nobis de damno aut injuria satisfactum. Dicuntur *bellum imperfectum*, quia

quia jus quidem tribuunt auferendi bona alterius, sed saltem quoad certum tantummodo actum, non verò, ut veris bellis fieri solet, in infinitum. *Grot. lib. 3. cap. 2. n. 3. Ziegler. de J. M. lib. 1. cap. 34.*

CAPUT XVII.

De Neutralitate.

§. 1.

MEdiæ naturæ inter Bellum & Pacem est *Neutralitas*; quam amplectuntur Respubl. si videant, è salute Reip. non futurum, bello inter alias Summas Potestates exorto immisceri.

§. 2. Ab hac Neutralitate ita dicti *Neutrales* sunt, qui neutri partium bellantium accedunt, aut auxilia ferunt, sed utrique bellantium æque commodos se præbent.

§. 3. Subjectum Neutralitatis quod attinet, tenendum: Omnibus Rebuspublicis licere, aliis bellum gerentibus, Neutra-

Neutralitatem seu quietem amplecti, nisi *speciali aut peculari pacto* uni parti belligerantium ad subministranda auxilia & ferendam opem, obstrictæ sint. talis obligatio si desit, nemo cogi potest, ut invitus aliorum bello se immisceat. *Vid. Boecler. Diss. Quies in turbis. p.m.*191.

§. 4. Officium Neutralium in genere in eo consistit; ut neutri partium belligerantium accedant, sed utrique se æquos præbeant, nihilque faciant quo alter directò lædatur. Illustris hinc suboritur controversia, inter arma sæpissimè acerrimè agitata, *an liceat Principi pacato & neutrali, alterutri hostium ejusmodi res, quæ in bello usum habere possunt & habent, vendere?* Angli hujusmodi res intercipere licere, contra Polonos, qui libertatem commerciorum objiciebant, defenderunt. Magnus ille Grotius *de J. B. & P. lib.* 3. *c.* 1. *§.* 5. distinguit inter res, quæ tantum in bello usum habent, uti instrumenta bellica

lica &c. quæ ſimpliciter vetita eſſe, aſſerit; & inter res, quæ uſum quidem in bello, ſed tamen extra bellum, habent; & horum commercium non impediri poſſe probat, edictis & exemplis præcipue hanc in rem adductis §. 5. *in not.* Nobis in ardua hac controverſia placet deciſio Magni JCti, Excell. Cocceji, nempe: Cum rigoroſo illo belli jure liceat munitiones hoſtium, urbes, portus, fructus, naves, & hoc genus alia perdere & vaſtare ad tuendum & recuperandum jus noſtrum; hinc ſequi, Principem omnia ea facere poſſe, ſine quibus defendere tale jus ſuum nequeat, ac removere impedimenta, quæ defenſioni huic obſiſtunt. Ad eum modum quo privatus, ſi ab aliquo gladium nondum habente, ab adſtante verò emere volente impetatur, emptionem hujusmodi, licet jus vendendi rem ſuam, habeat adſtans ille, pro defenſione ſua impedire poteſt. Sic etiam Reipub. in res, quæ hoſti ipſius, à pacata Republi-

ca ex

ca ex pacto vel fœdere transmittuntur, pro defensione sua jus belli competit. Adeò enim natura unumquemque sibi commendat: & defensio sui suorumque jurium jure naturæ est permissa, ut quicquid exsecutionem juris nostri impedit, etsi in se alias justum sit, removeri tamen è medio possit. Transvectio ergo rerum hostilium indistinctè, modò usum habeant in bellis, etsi & extra bellum, si hostium vires eo ad resistendum augeantur, & juris nostri exsecutio impediatur, impediri potest. Et hoc ipsum Elisabetha Angliæ Regina objecit Sigismundi Poloniæ Regis Legato Paulo Dzialino, querenti commercia cum Hispanis ex interceptione navium interdicta, sicque Jus Gentium violatum, quo libera debeant esse commercia, dicens: *Nihil esse tam congruum naturæ humanæ, hominumque moribus, quam periculum propulsare, quare haud passurum sapientem, ulla ope eum juvari, qui suo exitio immineat.* Grot. *histor.*

Belg. lib. 6. p. m. 286. Eadem prudentiſſima Regina Civitatibus Hanſeaticis conquerentibus naves ſuas à claſſe Anglica ſpoliatas, cum tamen per pacta liceret amicos eſſe hoſtibus Angliæ, ſapienter reſpondit: *Non hoc eſſe cum utrisque colere amicitiam, ſi alteros lædas, juves alteros, imò hoc eſſe auxiliari hoſtibus, & cum his adverſum alios facere.* Sane videtur profectò de hoſtili actione participare, qui ſubminiſtrat ea, ſine quibus bellum trahi non poteſt, & per quæ audacior fit hoſtis. *Grot. lib.* 3. *c.* 1. *ſ.* 5. *& ibid. Ziegler. in not. n.* 3. *Alber. Gentil. de J. B. l.* 2. *cap.* 22. *Textor. Syn. Jur. Gent. c.* 26. *n.* 27. *Anton. Matthæi de Crimin. tit. de laſ. Majeſt. crim. c.* 5. *n.* 18.

§. 5. Fieri vero ſolet, ut non ſimpliciter omnis commerciorum uſus cum hoſte neutralibus interdicatur, ſed certarum ſaltem mercium transportatio prohiberi ſoleat, quarum nempe præcipuus in re bellica uſus. *vid. Puffendorf. Rer.*

Rer. Suec. l. 25. §. 39. Acriter tamen nonnunquam disceptari solet, quænam merces res bellicæ dicendæ nec ne, an herba nicotiana, vaginæ ensium &c. *vid. Hillig. ad Donell. l.* 9. *c.* 12. *lit. B.* De *herba nicotiana* seu *Tabaco* acriter disputatum inter Anglos & Hispanos, cum Hispani navem tabaco onustam, in Hollandiam tendentem, interceperant. Hispani enim Tabacum inter victualia referebant, Angli verò fumum Tabaci non nutrire, ex sententia Medicorum, urgebant. Sententia tandem pro & contra agitata à Collegio maritimo pro Hispanis lata. Hodiè *Tabacum* inter res illicitas, quæ ad hostes deferuntur, referri posse, non dubito cum Boxhorn. *Inst. Polit. lib.* 1. *c.* 12. *& ibid. Horn. in diss. ad c.* 12. *p. m.* 204.

§. 6. An *neutri parti addictus milites suos dimittere potest?* Obstare videtur, quod ad alterutrum ex bellantibus transeant. Verum hoc nihil obstabit, quominus quis superfluum militum nu-

merum abdicet. Aliud verò dicendum si constet, non alio fine, quam ad alterum ex bellantibus sublevandum dimitti milites, tum enim quia hoc directè tendit in damnum alterius, justè se pars altera opponere potest indicendo etiam bellum.

§. 7. Præprimis nulli partium addictis, seu Neutralibus eò quam maximè allaborandum, ut æqualia bellantibus exhibeant officia & auxilia. Et hinc est, quod, si Respubl. quæ neutralitate gaudet, subditis licentiam militandi concedat, integrum subditis relinquere debeat, qualem partem eligere & amplecti velint. Item si uni bellantium facultatem milites parandi & conscribendi in ditionibus suis concedat, & alteri permittere debeat, si neutralitatis legi satisfieri velit. *conf. Grot. hist. Belg. lib.* 8. *pag.* 367. *it. Meteran. lib.* 25. *p. m.* 223.

§. 8. Porro in præstandis bellicis apparatibus, æqualitas observanda, ut

utrique

utrique parti æqualia præſtentur auxilia. Item Tranſitus innoxius utrisque concedi debet. *Grot. l.2. c.2. §.13.* Sed *quid ſi Tranſitus petatur ad invadendum alterum?* Denegari hunc poſſe ſtatuitur: eo quod non niſi graviſſimum tertio, ſeu concedenti, inde immineat periculum; æqualia ſiquidem utrisque debet officia, etſi jam uni tranſitum ad invadendum concederet, alteri ad ſe defendendum denegare nec auderet nec poſſet citra neutralitatis violationem, hac ratione verò facillimè fieri poſſet, ut conceſſo tranſitu in neutralium ditionibus ſedes belli conſtitueretur, non ſine maximis incommodis. Tutiſſimum igitur erit, ubi citra magnum incommodum fieri poſſit, tranſitum denegare. *conf. Dn. de Puſendorf. de J. N. & G. l. 3. c. 3 §. 5.*

§. 9. In ditionibus quoque ſuis Neutrales nullam hoſtilitatem exerceri, pati debent. Utrisque flumina & portus amicè patentes habere, nec alteri ab

altero injuriam & vim inferri intra suum territorium permittere debent. Unde rectissimè Magnus Hetruriæ Dux Gallos, Belgarum naves in Portu Livornensi aggressuros, desistere jussit, nisi vellent sibi vim opponi. *Dn. Valckenier* im Verwirrten Europa *p.* 4. *pag.* 539. *seq.* Et si contemptis admonitionibus alteruter alteri intra pacati territorium vim inferre moliatur, arma dominus territorii pacati opponere potest; quia ipsi injuria infertur. Nec saltem in portibus & fluminibus, utrique parti securitas præstanda, sed etiam in maribus ditioni alicujus subjectis. Sic Daniæ Rex, cum Angli Batavos in Bergensi portu invadere vellent, ex arce advectis tormentis eosdem abigi fecit. *Dn. Textor all. Tr. c.* 26. *n.* 41.

§. 10. Dissolvitur Neutralitas (1.) communi consensu quo facta, naturali unumquodque dissolvendi modo, quo colligatum. (2.) Renunciatione unius, ubi tamen adesse debet justa causa, præ-

primis,

primis, si ad finem belli usque neutralitas contracta. Si enim indistinctè, magis in partium arbitrio erit jus recedendi. (3.) Tempore, & quidem ipso jure; si ad tempus contracta, tempore elapso. Aliæ causæ, quæ dissolutionem neutralitatis evincunt, & quidem justæ, sunt: (1.) Mutata rerum facies; in publicis enim ex ratione status consilia formantur. Et (2.) primariò, violatio neutralitatis ab adversa parte, utpote quæ ipso facto illam tollit. *Vid. Textor. all. Tr. & loc. n. 43. & latè de hac mater. Boecler. in all. Dissert. quies in turbis. Grot. l. 3. c. 17. tot. & l. 3. c. 1. §. 5.*

§. 11. Denique Neutrales, qui securi bellorum naufragia ex littore respiciunt, ad componendum bellum collaborare debent, humanitatis lege ad hoc impulsi. Commodissime hoc facere posse creduntur ob neutralitatem, quod æquali in bellantes ferantur animo, & minus sint suspecti. Cum vix cum Mediatoris officio consistere possit stu-

dium partium. Suaderi verò saltem potest concordia, non imperari, prout ostendit *Boecler. all. Dissertat. pag.* 193. *& seq.*

CAPUT XVIII.

De Pace.

§. I.

Bellum, utut sit justissimum, fit injustissimum si æternum. Pertinacia namque facit, ut aliquid semper iniqui in armis sit, licet iniqua ipsa non sint. Imò Summum Politicæ Societatis bonum in pace consistit. Pax rerum humanarum optima, & modus bellum finiendi. Status pacis quam maxime naturæ humanæ congruit, ex eo principio quod Florentinus tradit *in l.* 3. *ff. de Just. & Jur.* nefas esse hominem homini insidiari; quod principium non solum à privatis & civibus, sed etiam à Regibus & Populis observari meretur.

§. 2. Pax

§. 2. Pax definiri potest, quod sit *Status, quo Respublicæ inter se quiete & citra injurias violentas agunt, & quæ invicem debent, velut ex obligatione & ultrò præstant. Pufendorf. de J. N. & G. lib.* I. *c.* I. §. 8. vel, est *cessatio hostilitatis, & restitutio pristinæ securitatis inter illos, qui hostes fuerunt.*

§. 3. Potestatem *cudendi pacem* ad Principem & Summum Reipubl. Gubernatorem pertinere, nullus dubitat. Penes quem enim belli gerendi, penes illum etiam illud finiendi potestas esse debet. Nec tantum, quod publica ad hanc opus sit auctoritate, sed etiam ne Respubl. inde damnum & detrimentum sentiat, fit enim hæc publica conventio instar privatorum conventionis, dato aliquo, aut retento, aut promisso; maxima igitur cura & circumspectione opus, in ineunda pace. Et hinc verba & res, concipientium tabulas pacis, probe ponderanda & ad Lydium lapidem revocanda; ne fraudulenta ex

illis aliquando elici possit interpretatio, neve plus scriptum, quam conventum reperiatur.

§. 4. Excluduntur hinc omnes cæteri Reipublicæ Proceres & Ministri, qui hac potestate destituuntur. Item *Belli Duces*; nisi *speciale mandatum* acceperint; alias enim, uti dictum, hæc potestas ad Majestatem, cujus nomine bellum geritur, tantum pertinet. Et licet generale mandatum habeat cum libera belli administratione, sub hoc tamen non contineri autumo, quæ mandato speciali expediri debent, qualis est transactio in publicis & privatorum litibus. *arg. l. 60. ff. de Procurat. junct. c. 3. de Procur. in 6to. Struv. Ex. 6. th. 55. Brunneman. ad all. l. 60. it. ad l. 12. C. de transact. n. 5. l. 7. C. eod. & præprimis vid. Tabor. disputat. VVesenbecian. disp. 8. quæst. 2. conf. Grot. l. 3. c. 22.* §. 7.

§. 5. Fœderatis non licet cum parte adversa, inscio & invito fœderato, pacem inire. Præprimis enim Principes decet

decet fidei ſtabilitas, & horum promiſſa, pro factis habenda. Huc trahi poteſt egregium monitum Jacobi A. R. ad Filium Henricum *lib.* 1. *p.m.* 2. *Memento hunc humanæ gloriæ ſplendorem cœlitus datum eſſe Regibus, ut integritate & ſanctimonia vitæ populo præluceant; ut ſint tanquam faces, virtute & pietate accenſæ, dirigendis errantium civium veſtigiis.* Et illud Eliſabethæ A. R. ad Proceres Angliæ: *Principes ſolis inſtar ſunt, in quo vel minimus nævus ex longiſſimo intervallo conſpicitur.* Cumque mutuo conſenſu bellum ſit initum, & diſſenſu mutuo diſſolvi debet, *arg. l.* 35. *ff. de R. J.* Male ergo agit, quisquis fœderato inſcio & invito contra pactum conventum, cum hoſte pacem facit. Limitant tamen hoc ipſum nonnullis caſibus, & quidem (1.) Si perpetuis & capitalibus odiis, unus ex ſociis cum hoſte decertare velit, conditionibus pacis omnibus rejectis & ſpretis. Ab humanitate enim hac ratione alienum

 foret,

foret, cæteros etiam nolentes volentes implacabili bello implicari. *Bodin. de Republ. lib.* 5. *c.* 6. (2.) Si necessitate ad pacem feriendam cogatur, si ita viribus dejectus & exsutus sit, ut plane inutilis confœderato suo, nullumque amplius ex fœdere commodum appareat. Hoc casu, quemadmodum necessitas non habet legem, ita nec contractum sustinet, si confœderatus gravissimis hisce causis prematur. (3.) Si fœderatus injuriosus & damnosus. (4.) Si metuat, à confœderato deseri; cum melius sit hoc casu prævenire, quam præveniri. Semper itaque discessio à fœdere denunciari debet, ut de fœdere posthac cessante confœderatus certior esse possit. *Conf. Brunneman. de Pace Polit. diss.* 1. §. 9. *Ziegler. all. Tr. l.* 1. *cap.* 40. §. 4. *Rumelin. ad A. B. part.* 2. *diss.* 4. §. 37. *& ibid. Myler. in addit. cum allegat. Horn. in diss. ad Boxhorn. Inst. Pol. lib.* 1. *c.* 11. *ad th.* 9.

§. 6. Personæ, per quas Pax conficitur,

citur, sunt *Mediatores*. Et quod in privatorum litibus sunt arbitri, hoc in publicis inter belligerantes sunt Mediatores. In Persona Mediatoris requiritur (1.) *Justitia*, seu ut sit vir bonus i. e. qui ea agit, quæ legibus consentanea. Hinc fluit, quod neutri partium belligerantium debeat esse addictus, sed communis amicus; unde hoc neutralium officium esse diximus §. *ult. cap. præced.* (2.) *Auctoritas*, ut ipsi de eo gradu sint, ut bella movere possint. Cum enim mediationis negotium sit publicum, talem etiam requirit personam, quæ publicæ auctoritatis respectum habet.

§. 7. Causæ moventes Mediatores dividuntur in *apertas* & *occultas*. Inter *apertas* sunt (1.) Summa potestas, quoad subditos proprios. *conf.* §. *ult. in fin. cap. præc.* (2.) Belligerantium *compromissio*, si nempe aliquem eligant mutuo promittentes, se staturos isto, quod ille pronunciaverit. Quod factum in con-

troversia Wildfangiatus à Principibus Rhenanis an. 1666. compromittentibus in Regem Galliæ & Sueciæ. (3.) Unius partis rogatio, quæ clam & tectè fieri solet. (4.) Religionis amor. (5.) Amicitia, consanguinitas vel affinitas, item fœderis vinculum. Inter *occultas*, quæ à parte Mediatorum esse solent, sunt (1.) utilitas, quæ vel venit ex vicinitate belligerantium, & interesse hoc continet, ne vicini conditio mutetur. Vel ex eo, ut crescens & metuenda alterius potentia cohibeatur. Tum, ut ipsi Mediatores extra periculum constituantur. (2.) Nonnunquam gloria & auctoritas, quæ inde quæritur, præprimis si Princeps famæ & gloriæ sit cupidus. Et (3.) quandoque subest prædæ spes. Locum hic inveniet proverb. illud German. **In trüben Wasseren ist es gut fischen.** *Vid. plur. Brunneman. all. Tract. dissert.* 3.

§. 8. In recentioribus negotiis **Pacis**, uti **Bredana** inter Belgas & **Anglos**, Mediato-

Mediatores fuere Suedi, in Westphalica Veneti, Angli in Pace Neomagensi, an. 1678. Sola Pax Pyrenæa an. 1659. inter Hisp. & Gall. Mediatoribus caruit; ex eo fortè, quod Ministri utriusque coronæ gloriam hanc soli reportare voluerunt. Vel quod belli ab utraque parte ita pertæsi eoque fatigati fuerint, ut nulla admonitione opus fuerit. In quo ultimo, dudum fuerat Propheta Innocentius X. P. M. cum enim quadam die, Palatii sui Navoniani fenestræ adstans, duos infimæ sortis è vulgo, orto forte jurgio, ferociter pugnis in se invicem incurrentes videret, ne quisquam pugnam dirimeret, maximè prohibuit, cum hoc Epiphonemate: Videbitis eos jam fessos pertinacia destituros: Cumque exitus verbis accessisset: *Certum*, inquit, *habeo inter Gallos & Hispanos bello, succedente tempore, attritos, pacem ad eundem modum, sine cujusquam interventu coituram. Gall. Guald. de Pace Pyrenæa fol.* 107. §. 9. Pa-

§. 9. Pacem initam comitantur & comitari debent (1.) *Amnestia* i. e. oblivio moralis injuriarum illatarum. Naturalis enim esse nequit, quia illam ob corruptam naturam in potestate nostra non habemus. *Vid. Instr. Pac. Olivens. inter Suec. Polon. & Brandenb. art.* 24. §. 3. *Diar. Europ. contin.* 3. *mens. April.* (2.) *Pactorum observantia*; *Grot. lib.* 3. *c.* 25. §. 7. Iterum verè Regiè hanc in rem *Jacob. A. R. all. Tr. lib.* 2. *pag.* 46. *Cum aliis Principibus, tanquam fratribus tuis justitiam & benevolentiam colito. Quidquid promiseris, vel cum tuo damno præstato; humanitatis & officiorum quasi inito cum singulis certamine. Ut enim apud omnes, ita maximè apud hos candoris & fidei laus tibi quærenda est; & Christianæ charitatis præceptum servandum, ut alteri facias, quod tibi factum cupis.* (3.) *Satisfactio*, quæ fit retributione æquivalentis, seu pro accepta injuria, seu pro opera impensa. Et teneri quidem illum, qui injuriam

&

& damnum dedit, populationes Provinciarum, Civitatum, agrorum, ædium incendia, resarcire, cum & in bellicis actibus, si non adhibeatur temperamentum, multa committatur injuria, uti observat *Grot. lib. 3. cap. 12.* Verum quia moribus gentium licentia bellica utplurimum impunis, & difficile, quo jure quave injuria damnum datum sit, definire, repetitionem talem rectius remitti, statuit Ziegler. *de Jur. Majest. l. 1. c. 40. §. ult.* Addens, hinc forte esse, quod hostium incursiones casibus fortuitis annumerentur. Atque hinc suadet, utrique parti utilius & consultius esse, ut per amnestiam generalem, quicquid damni datum, utrinque compensetur, & per amicam pacis compositionem in mutuam charitatem animi civium coalescant. Fortè magis arridebit consilium Regis Angl. Jacobi *all. Tr. pag.* 48. ita se habens: *Consulo, ne temere pacem facias. Priusquam transegeris, vide ut per pacis conditiones*

ditiones suscepti belli causa compensentur, tuaque & Populi securitati prospiciatur. Alias honestum bellum ignominiosa paci praeferendum.

§. 10. Differunt à Pace *Induciæ*, quæ hostilitatem non tollunt, sed suspendunt. Pax enim animum lædendi abjicit, induciæ eundem non abjiciunt, sed suspendunt. Unde definiuntur à Grotio *lib.* 3. *c.* 21. §. 1. *n.* 1. *Conventiones, per quas, bello manente, ad tempus bellicis actibus abstinendum est.* Quam examinat *all. Ziegler. d. Tr. lib.* 1. *c.* 39. §. 2. *add. Brunneman. de Pace Polit. diss.* 5. *Pufendorf. de J. N. & G. lib.* 8. *cap.* 7. §. 3. *seq.* Induciæ verò non sine fructu antea procurantur; ut eo melius animi bello exacerbati, ad pacis felicitatem amplectendam, aptentur. Item *Armistitia*, in quibus bellum potius non geritur, quam sublatum, & post hæc statim ad bella reditur. *Vid. Boxhorn. Inst. Pol. lib.* 1. *c.* 13. §. 8.

§. 12. *Pax Universalis* i. e. tempore & loco

& loco universalis, qualis in Imperio Romano tempore Augusti fuit, vix exspectanda, ob varietatem ingeniorum & rerum humanarum. Exspectandam esse, ostendere conatur Burgersdick. *Problem. Polit. Id. Polit. Doctr. annex. Problem.* 1. *Æterna* sæpissimè contrahitur, æternitate nempe Politica i. e. nullo tempore finienda. Verbo addendum, differre *violationem Pacis* & *Rupturam*. *Violari* Pax dicitur, quando Pax antea inita læditur. *Rumpi*, quando ad arma itur ex nova etiam causa. *Grot. lib.* 3. *c.* 20. *§.* 27. 28. *& ibid. Henning. in nott.*

§. 13. Denique Pacem Imperfectam constituunt *Sponsiones Pacis*, quæ fiunt quoties periculum in mora, & jussa Majestatis audiri nequeunt. *Necessitas enim magnum imbecillitatis humanæ patrocinium, omnem legem humanam, aut ad humanæ modum factam, frangit.* Sen. *lib.* 4. *controv.* 27. Est autem *Sponsio Pacis* pactum, quo is, qui à summa potestate

poteſtate mandatum ad pacem ineundam non habet, illam tamen promittit, & à ſumma poteſtate ratam habitum iri, ſpondet. Utilior illa eſt illi *à quo*, quam *cui* fit; quia hoſtis ſtatim ſe obſtringit, & conditiones pacis ab altero nondum confirmatas, admittit; dum tamen alter acta, quæ ipſo inſcio & injuſſu à Duce facta, reſcindere poteſt. Princeps igitur ſeu populus facta tali ſponſione non obligatur. *Grot. lib.* 2. *c.* 15. *n.* 3. Et ſi Sponſor Principem ſeu Rempubl. ad ſponſionem perſuadere non poteſt, tenetur ad id, quod intereſt, vel ad reſtituendam rem in eum ſtatum, in quo erat ante ſponſionem, vel ad ſui deditionem. Exemplum in Sponſione Romanorum Numantina, de qua integr. diſput. conſcripſit Dn. Thomaſius, Lipſiæ 1688. item Caudina. Plura huc pertinentia tradit Brunneman. *de Pace Diſſert.* 4. *de Sponſion. Dn. Puſendorf. de J. N. & G. lib.* 8. *c.* 9. §. 12. Finio voto hoc: Faxit Deus

T. O.

T. O. M. ut tandem Principes ſincera ac ſtabili pace conciliati, pacis jura ſanctè colere diſcant!

CAPUT XIX.

De Fœderibus.

§. I.

FOedera quam neceſſaria ſint in Republica, ſatis cognitum habent ii, qui clavem Imperii tenent. Cum enim nulla Reſpubl. ſibi tam ſufficiens ſit, ut non aliquando alterius ope & auxilio indigeat, ipſa natura duce, inter duas pluresve Reſpubl. conveniri ſolet, vel de Commerciis invicem habendis, vel auxilio ſibi mutuo præſtando. Duæ ergo præprimis cauſæ ſunt, quæ gentes ad contrahenda fœdera adigunt & impellunt, *Indigentia* & *neceſſitas:* Quæ tamen ita connexæ, ut unam efficere videantur, & ſive indigentiam ſive neceſſitatem illam dixeris, idem dixeris. Iſtud enim, quo indigemus,

mus, necessarium est, & nihil necessarium dici potest, quod non ex indigentia ortum.

§. 2. Sunt Fœdera *pacta publica de præstandis mutuis auxiliis.* Quia *pacta publica*, hinc fiunt jure Imperii, & hujus consequens, quod non nisi ab eo, vel auctoritate ejus, qui τὸ κύριον in Republ. habet, iniri possint. *Rumelin. ad A. B. Diss.* 4. *p.* 2. *th.* 34. *& ibid. Myler. in addit.* Hinc differunt à Contractibus privatorum, item Principum circa negotia privata, quia & in his utuntur jure communi & instar privatorum habentur. Unde & si Princeps à Principe quid emat, non fœdus, sed contractus est. *Dn. Puffendorf. all. Tr. cap.* 10. §. 4.

§. 3. Constant fœdera *articulis*, qui sunt vel *publici* & *aperti*, vel *secreti s. occulti*; & hi interpretationes & mens articulorum publicorum dicuntur. Unde & Minister, si contra articulos secretos agat, licet articulis publicis se confor-

conformem gerat, omninò peccat; scit enim veram mentem Principis in articulis secretis contineri. *Conf. Textor. S. J. G. cap.* 24. *n.* 25. 26.

§. 4. Ineuntur fœdera vel propter *commercia*, vel propter *bellum*. Quod fœdera commerciorum attinet, videtur natura studio non omnibus terræ partibus omnia dare voluisse, ut tanto arctius gentes jungerentur, & mutuis auxiliis se invicem juvarent. In his agitata est quæstio: *An alicui Populo liceat cum alio populo ita pacisci, ut is populus certi generis fructus, qui alibi non nascuntur, sibi soli vendat?* Affirmat hanc Grot. *lib*, 2. *de J. B. & P. c.* 2. *in fin.* cum hac tamen limitatione, si is populus, qui emit, paratus sit vendere aliis æquo precio. *Diss. Ziegler. de J. M. lib.* 1. *c.* 38. §. 3. Fœdus Commerciorum in Sacris inter Salomonem & Hiramum occurrit. 1 *Reg.* 5. *v.* 12.

§. 5. Fœdera *belli* vel inferendi vel avertendi gratia inita, dicuntur *offen-*

siva

ſiva & *defenſiva*. Sunt vero *offenſiva* potiora, quia ad omnes caſus ſe extendunt, & vim non tantum repellunt, ſed & inferunt. *Defenſiva* limitata, & ſolummodo ad vim repellendam inita cenſentur. Ad hunc modum bella dividuntur in *Offenſiva* & *Defenſiva*. *Offenſivum* dicitur à parte illius, qui bellum primo infert. *Defenſivum* à parte illius, qui vim illatam repellit. Aſt bello jam inchoato & offenſor ſe defendit, & defenſor offendit. Ita ut in omni bello & defenſio & offenſio ſit, & poſt illationem *Offenſivum* propriè dici non poſſit, niſi ratione initii bellandi, & prout bellantes modo offenſive modo defenſive agunt. Quid dicendum de *Fœderibus non nocendi?* Fœdera hæc non ſunt, ſed pacificationes. Quanquam & ſubinde fœdera pacificationibus adjici ſoleant. Unde ſi bellum nullum præceſſerit, & fœdus non nocendi ineatur, ſunt continuationes & firmamenta priorum Pacificationum. Quale fuit

contra-

contractum inter Jacobum & Labanum, *Genes.* 31. *vs.* 44.

§. 6. Porrò fœdera hæc belli sunt vel *æqualia* vel *inæqualia*. *l.* 7. *§.* 1. *ff. de captiv. & postlim. reverf. æqualia* sunt, si conveniunt, ut ab una quaque parte paria præstenter auxilia militum, navium & alterius apparatus bellici, idque vel utroque tempore, sive quando alteruter offendatur, sive hostilia arma ipsi alteri inferre velint. Non nunquam etiam auxilia promittuntur ad certum duntaxat bellum, vel certos hostes, aut contra omnes, exceptis tamen utriusque confœderati sociis. *Inæqualia* dicuntur vel ab inæqualitate auxiliorum promissorum, vel quod alterutra pars deterioris sit conditionis, & potentiori plus honoris, & inferiori plus auxilii deferatur. Exemplum in Confœderatione Judæorum cum Romanis, *Maccabæor.* 8. *vs.* 23. *& seq.* & imprimis 31. *&* 32. Incommodis tamen suis non carent, præprimis propter metum sup-

pressionis, cum potentiores soleant esse interpretes fœderum. *vid. Reinck. Bibl. pol. l.* 2. *ax.* 203. Suntque etiam in se considerata, nihil aliud, quam species protectionis ab una parte petitæ, & ab altera præstitæ. *Conf. Horn. in Diss. Polit. ad Boxhorn. l.* 1. *c.* 11. *th.* 9. An retineat Majestatem inæqualiter fœderatus, *vid. cap.* 8. §. 39.

§. 7. Utraque sunt vel *temporaria*, vel *perpetua* seu *aterna*, æternitate nempe politica i. e. temporis indefinitione. Inter hæc hodiè eminent tria fœdera: *Hanseaticum*, *Helveticum* & *Belgicum. Horn. all. l.* §. 3.

§. 8. In contrahendis fœderibus ratio personarum & nationum habenda, præprimis si ineundum fœdus bellicum. Unde finis difficulter obtinetur (1.) cum Fœderatis *nimis remotis*, ob difficultatem præstandorum auxiliorum. Sic Germanorum fœdera cum Russis & Persis in causa Turcica, nunquam singulari effectu gavisa sunt. Si commer-

ciorum

ciorum causa, affert utilitatem, quia Respubl. inde accipit res è longinquis terris, quas non habet. (2.) Cum *Infirmis & indigentibus*, quia onerosi esse solent, dum auxilia ferre nequeunt. Alia ratio fœderatorum inæqualium § 6. *h. cap.* (3.) Cum *pluribus*, quot enim capita, tot sensus & opiniones. Sic plerumque tempus deliberando, si res expedienda, hostis profligandus, perditur & consumitur. Exemplum in fœdere Schmalcaldico an. 1531. erecto. *Add. Hahn. de Jur. Imper. Rom. Germ. sect.* 73. 74. Excipiendum tamen si singuli fœderati scorsim agant, & copias suas ad invidiam & æmulationem contra communem hostem producant, contempto & spreto propriæ utilitatis & lucri studio, sed habita saltem ratione salutis & securitatis publicæ subditorum. (4.) Cum *diversæ Religionis* fœderatis; diversitas enim religionis animorum etiam diversitatem nonnunquam creare, promptitudinemque in

 præstan-

præstandis auxiliis minuere solet. Verum & hic excipiendum, si omnes partes in mutuam religionum tolerantiam consentiant, uti in præsenti Germano-Gallico bello. *conf. Rumelin. ad A. B. part. 2. diss. 4. §. 36. & Myler. ib. in addit.*

§. 9. Deinde circa personas cum quibus fœdus initur, quæritur; *An liceat fœdera cum infidelibus Turcis & Ethnicis inire, pacis vel commerciorum causa?* Et communiter *affirmatur*, Eo quod negotia & commercia etiam cum Ethnicis & infidelibus, salva fide salvifica, esse possint. *conf. §. 1. cap. seq. 20. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 15. §. 9.* Talia fœdera fuerunt Davidis & Salomonis cum Hiramo Tyriorum Rege. Item: *An liceat Principibus Christianis inire fœdera cum infidelibus, v. g. defensiva, contra æque infideles?* Et hoc affirmatur, Quia hac ratione contra infideles pugnatur, quos justo bello prosequi nulla religio est. Talia sæpe cum Persarum

Rege

Rege Principes Christiani pangunt contra Turcam. *Besold. de fœder. c. 4. n. 2. Grot. all. loc. Carpzov. de Lege Reg. c. 6. sect. 3. tot. Ziegler. l. 1. c. 38. §. 8.*

§. 10. Anxiè & maxima cum sollicitudine controvertitur; *An Principi Christiano liceat, pro sui suorumque defensione cum Principe infideli contra Principem fidelem & Christianum, si ab eo armis prematur, auxilium petere?* Hic quid statuere debeant, multi hærent. Communiter affirmatur: Ineunda non esse, nisi summa & extrema necessitas efflagitet, aliudque remedium evadendi non appareat, & prospiciendum esse, ne veræ & Christianæ Religioni inde aliquid decedat, statuit *Schvveder. Introd Jur. publ. part. spec. sect. 1. c. 27. §. 9. all. Bodin. lib. 5. de Republ. c. 6. Besold. de fœder. cap. 4. n. 2. 3. VVahr. ab Ehrenberg. de Fœder. lib. 1. cap. 2. n. 36.* Ziegler. *Dissent. de J. Maj. lib. 1. cap. 38. §. 9.* Et exempla ejusmodi fœderum in ipsis Sacris à Deo nequaquam impro-

bari probat exempl: Jacobi, qui inivit fœdus cum Idololatrico Labano *Gen.* 31. *verſ.* 44. Joſuæ cum Gibeonitis. *Joſ.* 9. *v.* 15. Maccabæorum cum Romanis. 1. *Maccabæor.* 5. *conf. Henning. ad Grot. cit. loc.* Fœdera verò Principum Chriſtianorum cum Turcis, contra æquè Chriſtianos, meritò abhorrenda, etiamſi etiam juſta adſit cauſa bellum movendi, aſſerit *Myler. ad Rumel. in addit. diſſ.* 4. *part.* 2. *ad* §. 35. Natura enim ſuadet, ne adverſus fratres noſtros, quales Chriſtiani inter ſe ſunt, certè eſſe debent, excitemus communem fratrum omnium & juratum hoſtem, ut maximè armatâ manu ab illis infeſtemur, ait Ziegler. *all. Tr. & loc.* §. 6. Maximè ſuperiori ſæculò quæſtio hæc agitata, cum tum temporis Franciſcus I. Galliarum Rex uti hodie Ludouicus XIV. Turcas in auxilium vocaret, inque Chriſtianum orbem ſingulari fœdere excitaret. Famam Principum per ejusmodi fœdera maculari,

notat

notat ipse, (quæstionem hanc alias affirmans) Limnæus. *in addit. ad capitul. Carol. V. ad prolegom. verb.* durch die wahl. *num.* 85. *& seq.* in Francisco I. R. G. Imò hinc factum, quod Status Imperii Romano-German. Franciscum non minus ac Turcam, pro communi Christianorum hoste habendum decreverint. R. I. zu Speyr *an.* 1544. §. So achten wir. *Ziegler. all. loc.* §. *pen.*

§. 11. Subsistunt tam diu fœdera, donec justæ causæ finiendi illa obveniant. Causæ verò hæ non ex cujusque genio æstimandæ; Multominus ex Pseudo politicorum sententia, ex sola utilitate mensurandæ, ita ut hac cessante, fœdera quoque cessare & evanescere nobis imaginemur; licet auribus principum ejusmodi quid insusurrare non erubescant. Valeat horum opinio; Immemorum illius quod Romanæ Eloquentiæ parens Cicero *lib. de offic.* differit: *Vere utile nihil esse, quod non sit honestum.* Imo quæ, stante hac opinione, in

genere humano superesset fides? Et si inter Principes in tantis negotiis non esset, ubi quærenda, *conf. cap. præc. §. 9. cit.* hanc in rem verba Angl. R. Jacobi. Summus Legislator Deus T. O. M. pactis suis ultrò se subjicit, *Genes. 9.* multò magis vicarii ejus hisce in terris faciant, necesse erit. Nonne pedibus proculcaretur *l. 1. ff. de pact.* Et si hoc modo fides ex consortio humano proscriberetur, omnes contractus, commercia, imò ipsa civilis justitia aboleretur. Accedit, propriæ tranquillitatis monumenta rescindere, qui observantiam fœderum, tanquam merè arbitrarium quid habent. Aliæ E. cum utilitate concurrere debent causæ. Nec causari licebit, Principes hac ratione esse mancipia verborum suorum, dum promissa & fidem servant. Multò magis enim, è dignitate Principum erit penes Sanctam Majestatem & diademata Regia, sanctè etiam fidem & promissa servare & colere; & suo exemplo populum

pulum ad bene vivendum & colendam fidem invitare. Cum ita inter homines comparatum ſit, ut ſimiorum more Regum ſuorum mores imitentur. *Jacob. Angl. R. Don. Reg. lib. 2. in. pr.* Nec magis mancipia verborum, ſuorum dici poſſunt, quam ille, qui juſtè vivit, mancipium juris, & qui caſte, mancipium caſtitatis.

§. 12. Veræ igitur, juſtæ, & legitimæ diſceſſionis cauſæ, ex eodem fonte, ex quo fœdera orta petendæ, æquitate nim. Juris Gentium. Et quomodo vinculum hoc inter principes colligatum, eodem modo debet diſſolvi. Hinc interplures conſortes (1.) unanimi diſſenſu. (2.) Finito tempore, cui adſtricta ſunt fœdera. (3.) Ceſſante cauſa. (4.) Renunciatione. *conf. Textor. S. Jur. Gent. cap. 25.*

§. 13. Sed *num Succeſſorem in Imperio obligant fœdera?* Putant nonnulli fœdus finiri per mortem alterius ex fœderatis, perinde, ut ſocietas alia. *l. 65.*

§. 9. *ff. pro soc.* §. 5. *I. de Societ.* Verum limitandum hoc, quo ad pacta publica ad utilitatem Principatus & salutem Reip. inita, qualia fœdera. Nam quæ Princeps, tanquam administrator Reipubl. exigente usu, necessitate aut utilitate publica gessit tractavitque, non in personam, sed in rem concepta videntur, i. e. ut interpretatur hoc Eximius ICt. Tabor. *Tr. de obligat. Successf. in Offic. c.* 5. *§.* 14. non tam à Majestate aut dignitate personali, quam reali, vel certè hujus respectu, gesta videantur. Et cum dignitas cum persona non pereat, sed cum omni sua causa in successorem devolvatur; haud absonum esse putamus cum *all. Tabore* dicere, onus quoque hujusmodi obligationis una cum dignitate ad successorem transire. *conf. Ziegler. all. l.* §. *ult. Grot. d. J. B. & P. l.* 2. *c.* 16. *§.* 16.

CAPUT

CAPUT XX.

De Commerciis.

§. I.

CUm non omnis produceret omnia tellus, variæ verò Regiones variis indigerent, & huic ſal, vina & frumenta, illi aromata & ſimilia deeſſent, nec ex omni terra indigentiæ humanæ & neceſſitatibus ſubveniri poſſet; utique ad vitæ neceſſitates ſublevendas & commoditates promovendas, vicini & longius diſſiti rogari debuerunt, ut mutua ſecum exerceri velint commercia ad communicandas res, quibus invicem carebant. In hac rerum diſtributione, quod unaquæque terræ pars, non omnia vitæ neceſſaria producat, ſed alia alios fructus & proventus, Deus ſapientiſſimus ille rerum omnium conditor, hunc videtur habuiſſe ſcopum & intentionem, ut nempe, hac ratione inter ſe arctiore nexu orbis ſui terrarum inhabitatores

bitatores continerentur & coalescerent. *conf. §. 4. cap. praec.* Ergo postquam jam *cap. praec.* necessitatem foederum in Republ. etiam circa commercia vidimus, jam actus hos civium in specie, & in se, & quatenus Reipubl. subjacent, considerabimus.

§. 2. Sunt Commercia *rerum communicationes, quae negotiatione perficiuntur.*

§. 3. Virum bonum & pium, imò gravem, mercaturam & commercia decere, latè & eleganter demonstrat Zieglerus *de J. M. lib.* 1. *cap.* 41. Qui vero maculam mercaturae impingere conantur, non aliunde illam quaerere possunt, quam ex nimio lucri studio. Quod tamen in unaquaque Professione dominatur, & scopus & finis est. Imò Mercatoribus in professione quaestuaria Leges positae, tam à Jure naturali, quam Divino, Gentium & Civili. Quoad Jus divinum *vid. Exod.* 22. *vs.* 25. 26. *Levit.* 25. *vs.* 36. *Deutor.* 23. *vs.* 19. *Psalm.* 15. *vs.* 5.

15. *vſ.* 5. *Luc.* 9. *vſ.* 34. de reliquis juribus *conſ. Celeb. Dn. Textor. S. J. G. cap.* 13. *n.* 4. 5. 6. *& ſeqq.* Inſuper unaquæque Reſpubl. negotiationibus modum ponere ſolet, ut & his ſalus communis conſervetur integra. *An nobiles & Principes deceat mercatura? vid. Ziegler. all. l.* §. 9. 10. *Tabor. de Jure Cereviſiar. cap.* 3. *ſ.* 3. 4. 5. *& ſeq. Gockel. de Regib. Europ. cap.* 24. §. 35. Decere, ex ratione, quia uſu rerum ſuarum e. g. metalli fodinarum, agrorum &c. alias carerent, docet Dn. Becman. *conſp. doctr. polit. cap.* 21. *p.* 104. Sereniſſ. Portugalliæ Rex partem Tituli à commerciis habet: *Dominus enim navigationum & commerciorum in utroque littore Oceani*, ſalutatur. *vid. Diar. Europ. Contin.* 5. *ad an.* 1660. *Menſ. Decemb. p.* 246. Inſuper diſtinguit Cl. Becmanus inter *Mercaturam* & *Inſtitoriam*. *Mercaturam* vocat, ſi in majori copia & menſura res venduntur. *Inſtitoriam*, ſi minutatim res diſtrahantur. Et hanc nobili indi-

gnam dicit, eò quod minutiæ abjectum quid ſapiant, & generoſum animum non deceant. Generoſitas enim æque ac magnanimitas in contemptu quoque minutiarum conſiſtit. *conf. Textor. all. l. n. 37.*

§. 4. Intereſt quoque Reipubl. ne promiſcuè omnibus negotiandi licentia detur, debent enim eſſe etiam, agricolæ & opifices; item qui in dignitate conſtituti, mercatura ſuperſedere debent, ne unum per alterum evertatur, corrumpatur, temeretur; neve publica officia quibus admoti, negligentius & ſegnius adminiſtrent. Pluribus enim intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus; Sic ergo nec Mercatores, & opifices, agricolæ feliciter eſſe poſſunt. Quia mercatores mercaturæ, opifices certæ officinæ & opificio alligati. Contrarium tamen feliciter ſuccedit, & felicius ſucceſſit, in Patria mea *Ducatus Montani Civitate Solinga* & ejus diœceſi, ob armorum fabricam per orbem terrarum

terrarum celebri; hic nempe mercatores suam mercaturam, & opifices sua opificia & labores in poliendis perficiendisque armis, una cum agricultura, quia ut plurimum extra civitatem ruri habitant, commodè exercent & perficiunt.

§. 5. Cæterum exercentur commercia vel per *terras*, aut per *mare* vel *aquas*. Hinc in *terrestria* & *maritima* dividi solent: & ad hæc etiam illa pertinent, quæ in fluminibus exercentur. Hodiè non solum ignobiles, sed & Nobiles, Civitates, Illustres, imò Principes & Reges ob insigne, quod inde in Remp. redundat, commodum, commercia aut ipsi agitant, aut eorum curam diligenter habent. Hinc olim publica & celebria Civitatum Hanseaticarum fœdera coaluere; & in Batavis hodie florent Celeberrimæ Societates propter commercia Indica maritima institutæ, vulgò die Ost-und Westindische compagnien. Ex Commerciis florent Potentissimæ Belga-

Belgarum & Venetorum Respublicæ.

§. 6. Aliquarum rerum commercia *absolutè* prohibita, aliarum *secundum quid*, & certis tantum personis. Illius generis sunt Res Sacræ, qua tales, *l. 6. pr. l.* 22. 25. 51. *de contr. empt.* Liber homo, libertas enim res inæstimabilis: *l. 6. pr. l.* 34. §. 2. *l.* 76. §. 6. *eod. tit.* Et intellectus non datur precium, quia precium consistit in comparatione rerum inter se, ast intellectus nulla cum re comparari potest, quia inter spiritum & corpus non datur comparatio. *conf. Dn. Scheineman. Profess. Tubing. Diss. de Commerc. circa lib. homin. tot.* Et hinc Liberi vendi non possunt, venditione propriè sic dicta, quia libertas liberorum precium non habet. In alius potestatem transferri possunt, si alimentationi parentes non sufficiant. *conf. cap.* 4. §. 14. Inter antiquissima tamen commercia fuit commercium hominum; & primum in Sacris hujus fit mentio *Genes.* 17. *vs.* 12. Nec Respubli-

cæ *l.* 22.

cæ *l.* 22. & 51. *ff. de contrah. empt.* quo ad ſubjectum ſcil. ſubditos, benè vero jus imperandi; ad eum modum, quo res ipſa quidem non eſt in commercio, ſed jus tamen aliquod circa rem alienari poteſt: uti monumenta legari non poſſunt, ſed jus tamen mortuum inferendi legari poteſt. *l.* 14. *C. de legat.* Et hinc Grotius ita: *cum populus alienatur, non ipſi homines alienantur, ſed jus perpetuum eos regendi, qua populus ſunt. lib.* 1. *c.* 3. §. 12. *n.* 2. *add. Ziegler. ibid. in not. cum Strauch. Exerc. exot.* 4. *n.* 18.

§. 7. Ad genus *poſterius* referuntur *merces contrabandæ*, quæ Gallis vocantur *marchandiſes de contrabande*, quæ ad bellum per ſe ſpectant. Hæ iterum ſunt vel in *ſpecie Contrabandæ*, quarum commercium cum aliis populis, Regnis aut Civitatibus interdictum, & quas vel evehere ad alios vel advehere non permiſſum. Hujus generis merces jure poſitivo & Civili variæ ſunt: Sic Barbaris nulla ratione Jure Civili licebat inſtru-

inſtrumenta bellica vendere. *l.* 2. *C. quæ res export. non deb.* Item vina, olea & ſimilia liquamina, *l.* 1. *C. eod.* Item ſericum à barbaris comparare vetitum. *l.* 2. *C. quæ res vend. non poſſ.* Et non tantum hoſtibus vendi prohibentur Jure etiam Civili inſtrumenta bellica, cotes ferro ſubigendo, & quæ in bello ſolum uſum habent, ſed etiam, quæ uſum extra bellum habent, & hoſtibus adreſiſtendum proficere poſſunt, uti frumentum, ſal, aliaque victualia, *l.* 11. *pr. ff. de publ. & vectigal. c.* 6. 11. & 12. & 17. *x. de Jud. Tabor. armamentar. Juſtinian. de jur. armor. cap.* 2. Vel ſaltem merces prohibitæ *inter privatos tantum*, qui in eodem territorio habitant, uti fruges in herba, vinum in uvis &c. & harum prohibitio non eſt inter gentes diverſas, nec earum evectionem vel advectionem ſpectat, ſed eſt inter ejuſdem Reip. vel civitatis ſubditos.

§. 8. Prohibita evectione harum mercium

mercium, plerumque à Rerumpublicarum statutis adjecta *pœna Commissi.* Non verò in hac exsequenda via facti, sed via juris procedendum, & causa primum cognosci, eaque cognita exsecutio ritè fieri, possessioque avocari judiciali ordine debet. *Gail. lib.* 2. *obs.* 51. *Brunnem. ad l.* 14. *ff. de publ. & vect. n.* 2.

§. 9. Et hinc quæritur; *an merces contrabandæ, quæ deferuntur ipso jure, statim commisso & prædæ cedant?* Resp. Minimè. Diximus quidem *cap.* 17. §. 4. impediri posse Jure defensionis, ne ad hostes deferantur, unde tamen non sequitur vel inferre licet, statim jure belli à pacatis quoque acquiri posse. Si verò denunciatio facta à parte, sub lege commissi, ne ad hostem tales merces deferantur, committuntur. *conf. Grot. l.* 3. *c.* 1. §. 5. item, *an commissis mercibus etiam navis committatur?* Hac in quæstione distinguo; an fraudulenter agatur & merces transvehantur non attenta pœna,

pœna, quæ prohibitarum mercium transvectioni imposita; an verò domino navis inscio merces tales impositæ. Et priori casu, ipsam navem quoque committi puto. Nam lex vetans transvehi merces prohibitas sub pœna commissi, etiam navem comprehendit, non vero posteriori, per *l.* 11. §. 2. *de publ. & vect. & l.* 3. *C. de naut. fœn.* Si licitæ & illicitæ merces simul navi impositæ, illicitæ saltem in commissum cadunt. Quia in legem in illicitis saltem, non licitis peccatum; & ad illas, non has pœna legis extendenda. Notissimum, utile per inutile non vitiari, nec pœnam esse, nisi ubi vitium & transgressio est. Mores & Edicta Belgarum exhibet Wissenbach. *in ff. part.* 2. *Disp.* 15.

§. 10. Etiam *frumenta* mercibus contrabandis annumerantur, si hosti subvehantur, & ideò auferri possunt pro defensione nostra, ne iis hostis juvetur; his enim non minus hostium vires

ac

ac armis sustinentur. Et qui facit, quod hosti placet, pro hoste habendus; censetur enim hostem adjuvare.

§. II. Circa Rerum precia illud quæritur: *Utrum Princeps & ex Mandato ejus Magistratus, rerum precia definire possit?* Non incongruè distinguitur, inter res ad victum & amictum pertinentes; & inter illas, quæ ad usum quotidianum tam necessariæ non sunt. Ita, ut in illis potestas definiendi rerum precia Principibus & Magistratibus concedatur; eo quod rebus ad victum & amictum pertinentibus, nemo carere possit, sed ad conservandam vitam emere cogatur. In his verò non ita, quia homo illis carere potest; & tam facile etiam in his precium constitui nequit, uti in aliis, quæ quotidiani usus sunt. Ex necessitate boni publici *Dardanarii* illi, ad frumentorum venditionem cogi possunt, si justum offeratur precium. Hancque in rem insignis constitutio Justiniani nostri est in *Nov.*

Nov. 122. *add. Dn. Strykii. Diss. jur. de Dardanariis. vol.* 1. *Diss.* 2.

§. 12. In definiendo verò rerum quotidianarum precio, Princeps probè attendere debet circumstantias abundantiæ & sterilitatis, item sumptuum & laborum, quem subditi impendere debuerunt. *vid. Ziegler. all. sæp. Tract. l.* 1. *c.* 46.

§. 13. Ut eò facilius commercia in Societate hominum necessaria, perfici possent, *Moneta* constituta. De hujus origine *vid. it. Ziegler. all. Tr. c.* 49. §. 1. *& seq.* Prima in Sacris monetæ mentio fit, *Genes.* 20. *vs.* 16. Est Moneta *signum publicum, permutationi rerum inserviens, charactери publico notatum.* Unde sequitur non nisi Principem, & qui summum in Republ. tenet locum, monetam cudere & precium nummis dare posse. Publica enim quia ejus est æstimatio & forma, privata auctoritate fieri nequit. Hinc meritò jus monetam cudendi inter Regalia relatum; quia justus

justus ille & adæquatus monetæ valor, qui inter subditos requiritur, à privatis exspectari non potuit. Tum etiam ob universalitatem, quam princeps in Republ. habet, non nisi ad principem pertinere potuit; quia omnes civium actiones à nutu & voluntate ejus dependent. Hinc & in Majestatem peccat, qui potestatem monetam cudendi sibi arrogat; Severissimè etiam violatio hujus juris punitur, præsertim ob incommoda & abusus, quæ ex licentia hac in Rempubl. redundarent.

§. 14. Quia etiam variæ in terris sunt Respublicæ, quæ sua Majestate & per consequens potestate cudendi monetam gaudent; Cumque moneta unius Reip. ex se & qua talis, nullam æstimationem admittat extra Rempubl. commercia tamen cum vicinis & dissitis necessariò exercenda sint: Hinc numismata extranea & peregrina indigenatus quasi jure donari solent in unaquaque Republica. Sub hac tamen conditione & lege,

lege, ut, si nummis patriæ pondere & valore non respondeant, valori eorum vel tantum addatur vel detrahatur, in quantum excessus vel defectus esse deprehenditur. Et hac ratione approbatio nummi peregrini tantum præstat, quod percussio proprii. Nec subditi solutionem in ejusmodi moneta oblatam, recusare possunt. Imò puniri etiam possunt & debent, qui extraneos nummos radunt, aut quovis alio modo falsificant, ex ratione §. *præc.* data.

§. 15. Nonnunquam etiam necessitate exigente, nummi subsidiarii ex corio, papyro, stanno, cusi, & cudi exigente necessitate possunt. Exemplum inter alia in Friderico II. Imperat. qui bello Italico exhaustus, jussit coriaceam monetam cudi, eique valorem aurei augustalis assignavit. Per præconem quoque proclamari jubens, se finito bello pro singulis coriaceis nummis aureum augustalem restituturum. Sic Lugdunenses Batavi anno 1574. à Hispa-

Hiſpanis obſeſſi, papyraceis nummis defectum metallicorum ſupplere coacti ſunt. Et anno 1631. Peruſi, Belli Dux, hoſtili obſidione cinctus, & nummis deſtitutus, ex ſtanno monetam cudi curavit, hac inſcriptione: *Neceſſitas Gryphisvvaldenſis*. vid. *Chemniz. Chron. tom.* 1. *lib*. 3. *n*. 3.

§. 16. Porro ad commoditatem commerciorum *Nundinæ Solennes* introductæ; Quæ ſunt *conventus negociantium, in quibus ex omnibus terræ locis undique certo tempore concurrunt*. Commodum non exiguum inde Reipubl. accedit. Non etiam niſi ab eo, qui τὸ κύριον habet, concedi poſſunt. Unde differunt à mercatibus vulgaribus & hebdomadalibus, gemeinen Wochen Märckten / quippe qui à quovis Magiſtratu ſine conſenſu ſuperioris inſtitui poſſunt. quia non tam mercatus, quam annonæ cauſa haberi ſolent. *Zahn. Ichnograph. municip. cap.* 61. *n*. 3. *Klock. de Contribut. cap*. 3. *n*. 78. Solennes & celebres

in Germania sunt Nundinæ *Francofurtenses*, *Lipsienses*, *Naumburgenses*, it. *Francofurtenses ad Viadrum*.

§. 17. Denique in Republica non admittenda esse *Monopolia*, plerique suadent; Quod melius sit, ut quotidianarum rerum usus pendeat à pluribus, quam ab unius arbitrio & sæpius avaritia. Et quià satius Reip. & salubrius, si habeat plures mediocribus divitiis instructos, quam unum prædivitem, eo quod plures Reipubl. robur magis augeant. *conf. Mevius, Consil.* 50. *n.* 36. *& seq.*

§. 18. Concedi verò à Principe potest *monopolium* ex certis & justis causis; ut si reliqui cives impensis in rem faciendis impares, & rebus aliunde advehundis non sufficiant; & si sine tali monopolio Respubl. conservari non possit. Deinde ille, qui monopolium impetrat, constringi debet ad venditionem mercium oblato justo precio.

§. 19. Ex eadem ratione Princeps, si in

si in urbe aliqua essent 20. sutores aut opifices, & 10. sufficerent, posset his solis commercium & opificium concedere, ne se invicem exhauriant, & multitudine civitati noceatur. *add. cap. 6. §. 5.* Ad eundem modum inventoribus rei novæ & artis alicujus, remunerationis gratia exercitium ejus artis ad aliquod tempus solis concedi solet, reliquis exclusis. Idem dicendum de privilegiis typographorum & bibliopolarum, ut intra certum tempus soli librum suis sumptibus excusum vendant. *vid. David Mevius. part. 3. decis. 70. Grot. lib. 2. cap. 12. §. 16. & Dn. Simon ibid. in not. Dn. Pufendorff. lib. 5. c. 5. §. 7.*

CAPUT XXI.

De Regalibus Minoribus, seu Juribus Reip. Fiscalibus.

§. 1.

HActenus egimus de Regalibus seu Juribus Majestatis seu Reipubli-

cæ Majoribus, quæ fluunt ex ipsa natura Reipubl. utpote sine quibus perfecta & sibi sufficiens societas esse nequit. Sequuntur *Minora*, quæ sunt *commoda & emolumenta, quæ ex bonis publicis vel alias ratione Imperii, is qui Summam in Republ. habet potestatem, percipit.* Vocantur alias *Jura Fisci*, seu *Fiscalia*; præsupponuntque potestatem aliquam in bona & possessiones privatorum. Hæc, ut Becmanus noster amat dicere, sunt orta ex *ambiguitate privati dominii* i. e. quia res privato domino caruerunt, ad principem meritò referri potuerunt & debuerunt. Non dissimilis à Grotio, qui sequentibus hæc exprimit: *Cum Principibus ac Regibus bona quadam essent assignanda, unde dignitatem suam sustinerent, sapienter existimarunt, ab illis rebus incipiendum, quæ sine damno cujusquam tribui possint*, cujusmòdi sunt res omnes, quæ in Dominium nullius pervenerunt. *lib.* 2. *cap.* 8. §. 5. *coll. c.* 3. §. *ult. cum: Commentator.* conf. *Tit.* 8. §. 52.

§. 2. Ta-

§. 2. Talia sunt inter alia *jus venandi*, quod Principibus optimo jure competit. Nec in contrarium, aut dubium jus Principum facit, quod ab initio Deus dominium ferarum non certis personis tantum, sed toti generi humano concesserit, earumque capturam omnibus in universum hominibus voluerit esse communem, Jusque & potestatem plenam illas in usus suos transferendi dederit, *Genes*. 1. *vs*. 26. & *c*. 9. *vs*. 3. *Psalm*. 8. *vs*. 8. & ideò Principes, cum ita, Jure divino & Dei voluntate etiam naturali & gentium, omnibus hominibus conveniat ferarum captura, absque insignis violentiæ alicujus nota, illam prohibere & auferre non potuisse. *arg*. §. 2. *I. de J. N. G. & C.* Nam ad hæc cum Christ. Fesch. *disp. Inaug. eleg. de Re venatoria ejusque jure, Basil.* 1638. *hab. part. poster. th.* 1. *lit. d. e.* respondemus: Ab initio Deum T. O. M. non tantum animantia fera, sed etiam mansueta, & omnem herbam, hominis do-

minio subjecisse, *Genes. d. c.* 1. *vs.* 29. verum has adhuc hodiè post dominiorum distinctionem à singulis vindicari posse, quis absurdè hoc affirmaret? Hæc ipsa etiam facultas utendi his, hodie ab illis, qui facultates has restringere possunt, nempe Principibus, restricta. Deinde animantia fera non ita dici communia & Juris gentium, quasi in omnium dominio essent posita, sed potius, quod sint nullius, *dict.* §. 12. *I. de rer. divis.* cum autem Principes illorum, quæ nullius sunt, dispensationem & distribuendi facultatem habeant, potuerunt venationes justa & rationabili de causa certo hominum ordini interdicere, aliique attribuere. Ac in iis utendis, vel limitando, vel permittendo, vel prohibendo, certum præscribere modum. *arg. l. 6. ff. de Justit. & Jur.* Imò à Principibus prohibitiones in iis, quæ Jure naturali & gentium licita sunt, fieri possunt justis ex causis, quæ hic adfuerunt, *vid.* §. 3. *seq.* Maxime autem

tem jus hoc venandi se fundat in dominio illo, quod Principes habent in territorium, in bona publica, inter quæ etiam sylvæ numerantur, & hinc, si quis dominus fundi privatus potest prohibere absolutè, ne quis ingrediatur fundum suum, quare non etiam Principes restrictè prohibere possent, ne quis ingrediatur sylvas venandi causa; deterioris enim alias viderentur esse conditionis, quam privati. *l. divus.* 16. *ff. de servit. præd. rust. l.* 13. §. 71. *in fin. ff. de injur.* Nec subditis res suas ita eripiunt, sed vetant duntaxat ab ipsis usurpari aliquem acquirendi modum, quem alias merum Jus naturæ, citra constitutiones civiles si esset, indulgebat, *Dn. Pufendorff. de J. N. & G. lib.* 4. *c.* 6. §. 6. Et quamvis etiam, (ut utar verbis Taciti) *omne magnum aliquid ex iniquo habeat, quod contra singulos utilitate publica rependitur*; negari tamen nequit, Principes ex justa & rationabili causa, prædia ipsa, adeoque & jura

quæsita auferrè posse, *Surd. Consil.* 113. *n.* 99. *Gail. lib.* 2. *obs.* 56. *n.* 1. *Schrader. de Feud. part.* 4. *c.* 1. *n.* 30. *vid. supr. cap.* 8. §. 51. *& seq.* multò magis & iisdem poterunt interdicere venationibus. Accedit & immemorialis hujus juris quasi possessio, cujus ea est auctoritas, ut præscribat etiam non præscriptibilia, *Surdus consil.* 127. *n.* 16. 17. *Rol. à Valle, consil.* 59. *n.* 6. *vol.* 4. *Natta consil.* 22. *n.* 2. *& consil.* 445. *n.* 6. 7. *Mevius consil.* 3. *n.* 69. *& sequent. Tabor. de Jure cerevisiar. c.* 7. *in Respons. rat. decid. in fin.* quia etiam prohibitio venationi, tanquam rei olim meræ facultatis, accessit, & in ea subditi seu homines acquievere, constituuntur in quasipossessione hujus juris prohibendi, & hoc ipsum præscripserunt legitima præscriptione. *Mev. cons.* 50. *n.* 35. Nec obstat, quod objicitur à nonnullis & Bachov. *ad Treutl. disp.* 20. *th.* 3. *lit. a.* Præscriptionem hanc fieri non potuisse, quòd ab initio violenta præsumatur possessio,

ſeſſio, cum ſubditi jus ſuum adverſus principes, poteſtate & imperio ſuo utentes, tueri non potuerint; Quia falſam & iniquam hanc præſumptionem eſſe probant, *l.* 18. *§.* 1. *&* *l.* 21. *ff. de probat. l.* 51. *ff. pro ſocio.* Tum à tot ſæculis & plus quam immemoriali tempore toties facta prohibitio & continuata poſſeſſio, juncta ſubditorum patientia, omnem meritò violentiæ præſumptionem excludit. Adeò, ut, qui ultra hominum memoriam in poſſeſſione vel quaſi permanſit, titulum ne quidem demonſtrare teneatur; cum immemorialis præſcriptio, ex communi omnium Dd. ſententia, titulum non requirat, ſed inſuper, præter titulum, vim privilegii habeat, *l.* 1. §. *ult. l.* 2. *pr. ff. de aqua & aqu. pluv.* Imò pro veritate habetur, & titulum allegare opus non habet, qui immemoriale tempus probat. *Mynſing. cent.* 1. *obſ.* 3. Immemorialis præſcriptio omnem malæfidei præſumptionem purgat. *Mevius conſil.* 3. *n.* 74. *& ſeq. it.* 80. *conſ.*

Dn. Beieri diss. de occupat. & venat. ferar. illic. tot.

§. 3. Causæ, quibus Principes ad adimendam subditis venationem moti, inter alias, hæ præcipuæ: Viderunt nempe, promiscuam illam venandi libertatem plurimarum inconvenientiarum in Republica esse matrem, uti acerrimarum altercationum & rixarum; & sæpius ad arma, à verbis ad verbera veniri, item subditos nimium venationibus deditos omnia pessundare, & propter quotidianas lanienas ferarum, species depopulari & opprimi, item venatores omni humanitate quasi exsutos, & nonnunquam feris similes fieri, ad latrocinia & alia facinora & flagitia allici, & iisdem sic fenestram aperiri, agriculturam, officia & alia necessaria & agenda negligi, nec non uxorum & liberorum Venatores oblivisci, secundum illud Horat.

Manet sub Jove frigido
Venator teneræ conjugis immemor.

Et

Et quidem omnia cum maximo Reipubl. detrimento. Ecquis ergo non videt justissimis de causis & prudenter subditis venationes esse interdictas? *conf. Dn. Struv. S. J. Feud. c. 6. aphor. 5. n. 3.*

§. 4. *Jus Fluminum* tam navigabilium, quam aliorum, *vid. 2. Feud. 56.* tam quoad proprietatem, quam utilitatem inde provenientem, & *Insulas* in illis natas, tanquam accessiones fluviorum. *vid. Myl. ab Ehrenb. de Pr. & St. Imp. p. 2. cap. 66. Jus circa Metalli fodinas*, tam auri & argenti, quam æris, ferri, salis, nitri, aluminis, non tam quoad proprietatem, quam quoad *canonem metallicum. Myler. ab Ehrenbach. de Princip. & Stat. Imper. part. 2. cap. 69. §. 2.* Sic Sereniss. Hassiæ Landgravius *Lapides scissiles*, vulgò Schiefferstein / sibi vindicat, sub onere tamen decimarum quoslibet ad fodiendum admittens. Insuperque eximentibus & fodientibus ligna ad fulciendam & mu-

niendam fodinam, ne corruant, gratiosè (solvendis saltem à scissoribus saltuario debitis sportulis, Stamm-gelt) concedit. Item ad eundem Sereniss. Principem *carbones fossiles* pertinent, & iisdem custodiendis & pro certo precio vendendis præpositus est quidam, qui vocatur der Berg-Schreiber. Adeoque privatis eximere non licet.

§. 5. Eodem modo ex *cespite ustibili*, quem Belgæ vocant Torff/ qui naturalis est palustris, pinguis ac decoctæ glebæ terra; fiscus lucrum quoddam quærere non prohibetur. *Klock. de ærar. l.* 2. *c.* 27. *n.* 18.

§. 6. In nonnullis Regnis & Rebuspublicis quoque *Thesauri*, licet in propriis locis licitè inventi, ad Principem pertinent. *Arnis. de Jur. Maj. l.* 3. *c.* 6. *n.* 23. Sic apud Hispanos lege Regia constitutum est, ut quinta pars inventori relinquatnr, reliquæ fisco cedant. Gothorum Reges thesauros sibi vindicarunt. Referunt, Richardum II. Regem

gem Angliæ armis insecutum fuisse nobilem quendam sibi subditum, quod thesaurum in proprio fundo repertum sibi tradere negaret. Confiscationem hanc licitam faciunt, quod sint res nullius & privato domino carentes, de quibus Principi ad salutem Reipublicæ disponere permissum. *Grot. lib. 2. cap. 8. §. 7. & ibid. Simon, & Henniges.* Æquitatem tamen naturalem suadere putamus cum Ziegler. *ad all. loc. Grot.* ut ad dominum fundi aliquid ex invento thesauro perveniat. Eò quod, si avitus fuerit fundus, à majoribus repositam & reconditam fuisse pecuniam verosimile sit. Si verò noviter acquisitus, uti in ipsum fundum dominium quis habet, ita etiam in omnia ea, quæ in fundo latent & ignorantur, fundo tamen continentur, verè habet; Ita ut fundi beneficium non immeritò thesaurus repertus dicatur. Item ad Jura fiscalia referuntur *Jura viarum publicarum & vectigalium*, quæ meritò pro

 refectio-

refectione viarum, ut tam personæ, quàm bona commodè de loco ad locum transferri possint, imponuntur ac exiguntur. *Klock. de ærar. lib. 2. c. 77. n. 21.* Reliqua Regalia minora enarrare institutum nostrum non patitur, vide sis Bocerum & Sixtinum de Regalibus. *add. Magnif. Dn. Strykii dissert. de Jur. Princip. subterraneo. tot. hab. an.* 1685.

§. 7. Tribus verbis addemus Regalia nonnulla in certis tantummodo Rebuspublicis usitata; ut *Jus Deportus* in Anglia & Gallia usitatum, quo Rex, ad quem omnis cura Vasallorum suorum minorennium pertinet, bona, quibus ad sustentationem non indigent, fisco regio addicit. Rigor hujus juris inde excusatur, quod primi feudorum acquirentes, ita cum domino feudi pacti sint, sicque damnum hoc majoribus, non Regi adscribi debeat. *Jus extrahendi bona naufragorum*, ex fundo maris; utpote quarum rerum desperata possessio, & in quibus non videtur quis

retinere

retinere animum domini. *Grot. lib. 2. c. 4. §. 5. n. 1.* Notanda hic venit controversia, quæ Anglis hac de re mota, dum ex navi Hiſpanica è regione Americæ ante multos annos merſa, & ab illis fortuitò inventa, theſaurum extraxerant. Hiſpani cauſabantur, ſe nunquam animum recuperandi argentum abjeciſſe, nec illud pro derelicto habuiſſe. Angli è contrario ſibi tanquam beneficium divinum, inventionem hujus theſauri attribuendam eſſe, urgebant, & omnem ſpem recuperandi Hiſpanos abjeciſſe, ex non tentata per tantum temporis decurſum inquiſitione, colligi poſſe, reponebant. *Jus* verò *de Varech* in totum improbatur. *vid. cap.* 9. §. 4. Quale jus ratione Normandiæ ad Regem Galliæ pertinere tradit Tholoſanus, *de Republ. lib. 9. c. 1.* §. 29. Idem jus etiam tribuitur Regnis Italiæ, Siciliæ, Neapolis, Hiſpaniæ, Angliæ, Aquitaniæ, Navarræ, ut abundè teſtantur Renat. Chopin. *doman.*

Franc.

Franc. l. 1. *c.* 16. Arnisæ. *de J. Maj. l.* 3. *c.* 6. Imbecillis est, quæ redditur hujus juris à Tholosano *all. loc.* ratio; curam nempe, & refectionem portuum & littorum ad Principem pertinere; Item Principem debere esse solicitum, ut maria sint æque à Piratis, ac itinera à Latronibus tuta. Jam verò secundum naturam esse, ut qui sentiat onus, sentiat & commodum. Cui oppono Regulam illam Juris naturæ in *l.* 206. *ff. de R. J. Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem.* Jam itaque observandum principium illud: Concurrentibus duobus præceptis Juris naturæ, si utrumque servari nequit, observandum id, quod fortius, & magis stringit. Quis hanc, Tholosani regulæ & rationi præponderare non videt: In aperto quippe, in exercitio hujus juris lucrum captari ex calamitate aliena. Ejusdem ferè farinæ *Jus Albinagii*, quo bona peregrinorum morientium fisco

cedunt,

cedunt, quod ex veterum opinione, qui peregrinos pro hostibus habebant, fluxisse videtur. *Jus bona vacantia occupandi*, iniquitate caret, si modo prius publice de more vocati fuerint, si qui defuncti hereditatem sibi deberi putent. Nam *aliàs si quid domino particulari carere incipit, ad universitatem aut dominum superiorem redit, Grot. l. 2. c. 3. §. 19. n. 3.* *Jus piscium Regiorum*: quales Balænæ in Gallia & Anglia; item Delphini, Acipenseres, Thynni. *Jus Ambari* apud Belgas in India Orientali & Hispanos, tanquam accessorium littorum. *Jus colligendi succinum*, Bernstein / singulare Regale Sereniss. Elect. Brandenburgici in Borussia, ob rationem eandem.

CAPUT XXII.

De Subditis.

§. I.

SEquitur corpus parentium, in quod Respublica potestatem suam exercet.

cet. Ex Imperantibus enim & parentibus Respubl. constat. Parentes uno nomine dicuntur *subditi*, i. e. *personæ Imperio publico subjectæ*. Formalis ergò ratio subditi consistit in subjectione seu paritione, quemadmodum Imperantis in Imperio.

§. 2. Consistit subjectio hæc in agnitione superioritatis, seu *obedientia simplici*, i. e. proposito explendi mandata superioris, ex *sensu officii* sine vacillatione. Nihil enim certi alias in Republica esset, & finem quoque nostrum in illa non potiremur. Et hanc ipsam obedientiam inculcat Apostolus 1. *Petr.* 2. *vs.* 12. dum *perfectam obedientiam* superioribus deberi docet; & servos non tantum modestis & humanis, sed & duris dominis obedire jubet. Et *ad Roman.* 13. *vs.* 5. necesse est subjici non solum propter *iram* i. e. metum pœnarum, sed & propter *conscientiam* i. e. ex sensu officii. *add. Hobbes. de Cive cap.* 6. §. 13. Hinc quoque *Civis bonus*, *debet*

bet esse vir bonus; quia Civis bonus nemo dici potest, nisi etiam sit vir bonus i. e. interno animi affectu in Rempubl. feratur, non metu aut spe futurorum. Civis enim tantum bonus nullo sincero affectu in Remp. fertur, quia nihil est, quod illum afficit intrinsecè. Unde & in singulas horas mutabilis, & præsentia tantum spectat, non perpendens futura, & qualem res habitura sit exitum.

§. 3. Ex natura itaque hujus subjectionis (1) à subditis *Princeps summa veneratione prosequendus*: Honoris enim maxima pars est, agnoscere potentiam alterius, eique nolle displicere. Tenuior hinc etiam sors Principis non contemnenda, qualis qualis etiam illa sit, in quam per infortunium conjectus. Davidem hoc non latuit, cum ipsi contemptissime à Simei malediceretur, cum inquit: *fortassis Deus respiciet afflictionem meam, & reddet mihi bonum loco maledictionis hodiernæ*. 2. *Sam*. 16. *vs*. 12.

Huc

Huc referendum memorabile & generosissimum responsum, eventu comprobatum, Caroli II. Regis Angliæ, cum exsulem ageret & Ministri Pacificationis Pyrenææ Ludovicus de Haro & Cardinalis Mazarinus, ipsum ne quidem ad colloquium admittere vellent: *Intra anni spatium ipse quoque in Regno meo ero. Diar. Europ. an.* 1671. 4. Reverentia, quæ Principibus, qui, justa vel injusta vi, item malitiosa desertione, coronæ & Imperii jacturam passi, debetur, assimulari potest reverentiæ illi, quam in jure nostro Civili Liberi emancipati, aut servi manumissi debent iis, quorum in potestate fuerunt.

§. 4. Nec *vitia Principum traducenda*, nec *dura in illos verba proferenda*; ferendi enim, non culpandi Principes. Nemo nos censores morum constituit. Reges nos judicant, illos Deus, cui tantum peccant. Huc pertinet illud Virgil.

Discite justitiam moniti, nec temnite Divos.

Idem

Idem volunt loca Sacræ Scripturæ, *Eccleſ.* 10. *vſ. ult. Job.* 34. *vſ.* 18. *Deut.* 22. *vſ.* 28. Modeſtè proinde locutus Grammondus de Amoribus Henrici IV. ad egendam hanc maculam: *Rarò ſævit, qui amat.* Quamvis hoc axioma fallere, probet exemplum Davidis, ideò ſæ-ientis, quia amavit. Nec *à Sacro or-'ine excommunicandi*, quia ſubſunt uidem Sacris per modum directionis : conſilii, at non per modum Juris-ictionis. *Vid. Summum Theologum 1ax. Rever. & Excell. Dn. Henric. 'ulſium, Syſtem. Theol. de Molit. Oper. Sabath. Dei c.* 15. §. 9. Admoneri rò ratione muneris Sacri poſſunt, ne 'is actus tales noceant; idque habita ione dignitatis Regiæ, ut videmus ctum à Nathane Davidem ſuper ad-erio & occiſo Uria privatim monen-2. *Sam.* 12. Summis hinc laudibus ollenda elogia, quæ Scriptores An-:ani paſſim ſuis Regibus tribuunt. alia: *Regem nemini poſſe injuriam facere,*

facere, eo quod præsumatur semper talis, qualis esse debet. *Eundem non posse errare*, ex causa eadem. *Nec de factis ejus disputare fas esse*; ob summam reverentiam ipsi debitam, & ne qua parte obsequium luxetur. *Omnium somnos Regis vigilia, omnium otium illius labor, omnium delicias ipsius industria, omnium denique vacationes illius sola occupatio defendit*, inquit Bractonus JCt. Anglican. ex Seneca. *vid. auct. Stat. Angl. p.* 1. *c.* 4. Verissimum certe illud Taubmanni:

Sunt fasces fasces, & omnis honos onus,
Fructus honos oneris, fructus honoris onus.

§. 5. (II.) *Persona Principis subditis debet esse sancta*, quia Principibus, tanquam Dei vicariis, summus debetur amor & veneratio. Unde *Principibus resistere non licet*, quisquis enim resistit, Dei ordinationi resistit. *Rom.* 13. §. 2. & observandum hic, quod de parentibus legimus: *Ames parentem, si æquus est, si non, feras.* Rex enim est populo

suo,

io, quod pater est liberis; quod ca-
ut est corpori è multis membris com-
osito. Jam quam illicitum liberis, &
ipium, inventa etiam causa consur-
re in patrem, tam illicitum etiam
bditis erit, insurgere in Principem,
out sapientissime hac de re disserit
cobus A. R. *lib. de Jur. lib. Monarch.*
103. *coll. p.* 88. *it.* 101. Ratio etiam
oad Principem aperta; quia est per-
ia omnibus utilis, & in salute Prin-
is salus versatur omnium. Quod
ma est in corpore nostro, id Prin-
s est in Republica; hac verò à cor-
e sublata corpus perit, & Principe
lato, tanquam spiritu & halitu sub-
rum, Respublica societas amplius
ecta non erit, sed dissociata mul-
lo, qualis illa Cyclopum, *ubi con-
turba, & nemo audit neminem.* Imò
itas monet & imperat interdum,
eo unius bono, multorum admo-
bonum præferam. Quæ omnia à
ibus ac recentioribus Theologis
pariter

pariter ac Politicis magno numero prolixè expoſita. *Vid. Grot. de J. B. & P. lib. 1. c. 4. paſſim. & lib. 1. c. 2. §. 9. & Commentator. Grotian. in h. loc. it. de Imper. Summ. poteſt. circa ſacra, c. 13. §. 14. Brunneman. Jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 2. §. 33. Keckerman. curſ. Philoſ. diſp. 35. emblem.* 4. Et Theologorum noſtrorum ſententiam in *Diſputatione quam ſub ſæp. laud. Celeb. Dn. Becmano, de Securitate Doctrinæ Reformat. Religion. de Magiſtr. Politico, in Illuſtri Viadrina, publicè ventilavimus, cap. 1. §. 21. 22.* & *Hubert. Moſan.* im bericht von der Reformirten Lehre von der Weltlichen Obrigkeit. *tot.*

§. 6. Quid verò juris erit in caſu *extremi diſcriminis*, ſeu *ſummæ neceſſitatis* Reipublicæ, ſi totus ſtatus publicus facto Regis minetur ruinam, ſi Rex plane ab officio ſuo recedat, hoſtili in populum feratur animo, ad vitæ vel fidei genus, à quo plane alieni abhorrent, trahat, Religioni ſubditorum extrema

·ema inferat, & palam insidietur, suam-
ıe velit esse publicam, si Regnum alii
bjicere aut illegitimo successori, vel
rtui tradere, Leges fundamentales
ertere velit, si fidem datam frangat,
l alio modo contra pacta publica agat,
& dicta patientia hisce casibus sub-
is tribui vel adscribi potest? Mini-
putem. Dei enim leges tacitam ex-
tionem habent necessitatis, multò
;is populo hic aliquid licebit. Dicta
entia est quidem singulorum, uni-
orum verò quoad præsentem casum
est, quia fine careret; in propriam
: ruinam & destructionem tende-
à qua tamen omnis homo naturâ
alienatur. Subditi etiam hoc casu
ıliter, quam assertores sui juris &
tatis, quæ ex promisso sibi quæ-
nt, imo sui ipsorum & suorum de-
es existunt. Quin quasi in extre-
:æ & fidei discrimine constituti,
vationem suam, quæ omni jure
nec denegari nequit, licitè quæ-

 runt

runt & intendunt. Deinde etiam eversio sub jure Imperii non continetur. *Vide prolixè hac de re agent. sæp. laud. Dn. Becmanum, diss. de Jure Subditor. circa Sacra. tot.* Licet ergò Subditis, enarratis casibus, se defendere i. e. vim avertere & declinare; non verò vim Principi inferre, & injuriam vindicare, id enim non esset injuriam repellere & se defendere, sed offendere. Parcatur itaque semper personæ Regis, ob characteris sanctitatem & indelebilitatem. Principes enim licet excedant, vel delinquant, manent veri Principes; ad eum modum, quo pater etiamsi in liberos injurius sit, verus pater manet. Neque liberis ideò competit jus in patrem insurgendi. *conf. Angl. Rex Jacob. jur. lib. Monarch. p. m.* 104. Hoc sensu capiendi & intelligendi Theologi nostri præcedentis sæculi, quando jus aliquod resistendi subditis aliquibus, scil. Magistratibus inferioribus seu ordinibus Regni, tribuerunt; non enim terminum

minum hunc, prout jacet, intellexerunt; ſed tantummodo hoc voluerunt, ſubditis licere ſe defendere, ſeu tueri jura adverſus vim injuſtam; de vi inferenda nunquam cogitarunt, prout latè & eruditè hoc oſtendit Dn. Hubert. Moſanus, im bericht von der Reformirten Lehre von der Weltlichen Obrigkeit / *cap.* 1. *&* 2. *§.* 9. *edit.* 1690. *oppoſ. Hect. Godfrid. Maſii libr. de intereſſe Principum circa Religion. Evangelicam*, quatenus is Reformatorum Doctrinæ de Magiſtratu maculam impingere conatus eſt. *conf. Barth. Keckermannus. curſ. Philoſoph. diſp.* 35. *emblem.* 4. *p. m.* 761. *& ſeq.*

§. 7. Imò recenſitis caſibus innocentes hujusmodi ſubditi defenſionem ab aliis Principibus quærere poſſunt, ſi nullam ſpem reconciliationis, ſed conſtantem & perpetuam Legibus contrariandi illasque evertendi voluntatem in imperante ſuo videant. Et ab aliis Principibus etiam defendi poſſunt & debent,

bent, ob *cognationem naturalem*, quæ inter homines intercedit, *Grot. l. 2. c.* 25. §. 6. 7. item *Spiritualem*, si fidei socii, eaque cognatione Spirituali Principes attingant. *Galat.* 6. *vs.* 10. *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad Domesticos fidei.* 1. *Tim.* 5. *vs.* 8. *Si quis suorum & maxime Domesticorum curam non habet, fidem negavit & infideli est deterior.* Accedit, quod Principes sunt *Nutricii Ecclesiæ:* ergò & obligantur ad defensionem ejus. Nutrientium enim non est abjicere eos, qui curæ suæ commissi, sed ipsos fovere ac defendere. Nonnulli Principum speciali juramento se ad hoc obstringunt: Sic Imperator Romanus jurat, *se viduarum & miserabilium personarum pium defensorem & judicem futurum. vid. capitulat.* invictissimi nostri *LEOPOLDI, artic.* 1. Rex Galliæ, *se mandaturum, uti in omnibus judiciis æquitas & misericordia locum habeat; quo Deus, qui clemens & misericors est, sibi & aliis misericor-*

sericordiam præstet. Et quamvis has promissiones ad subditos tantum pertinere constet; ad Exterorum nihilominus defensionem, præter adductas rationes, ex hoc capite etiam tenentur: Quia Principes sunt Custodes utriusque Tabulæ, universo generi humano propositæ, adeoque veluti Curatores universæ rei humanæ, ac proinde non solum unius sibi creditæ gentis rationem habere debent, sed totius humani generis: hinc Principes esse oportet non φιλομακέδονας tantum, aut φιλορωμαίυς, sed φιλανθρώπυς, uti *Grot. ex Themistio* disserit §. 24. *prolegom. conf. cap.* 8. §. 30.

§. 8. Reliquorum officiorum ex natura subjectionis profluentium, quæque subditi Reipubl. vel Principi debent, fundamentum est, *subditos omnia sua & se ipsos debere Reipublicæ*, seu obligari pro principe. Hinc fluit exquisitior ille gradus obedientiæ, qui vocatur *Exsuperantia obsequii & pietatis.*

Quæ non comprehendit illa, quæ necessariò in Republ. facienda, uti obedientiam, tributorum solutionem, Principum honorem; Sed ea, quæ per se bona quidem sunt, verum ad quæ stricto jure non tenemur tanquam subditi, & quæ ratione exercitii etiam arbitrio nostrò relinquuntur. Ut si subditus salutem privatam sui ipsius, plurium postponat saluti Principis vel Reipublicæ; pro principe in periculo mortis constituto, se exponat armis hostilibus. Item si *nautæ potius se, navemque suam accenso pyrio pulvere perdant, quam ut hostibus eam permittant*. Præstat enim cum discrimine suo patriæ prodesse, quam nihilominus in ea versari contra utilitatem in patriam redundantem; aut declinando, illud pati, ut patriæ damnum inferatur. Quamvis negari nequeat, conservationem illam & amorem sui ipsius non parum obstare; Ac licet extrema hujusmodi non semper expresse jubeantur pro salute Patriæ,

ab

ab his tamen persona talis e. g. nauta, immunis non est ratione officii. Sic per captam navem hostis contra patriam incrementa sumit; si verò nauta vitam suam ita periculo exponit, certissimam suorum hostium cladem experitur. Nata hæc quæstio ex factis nautarum, in specie Belgicorum; in quorum instructionibus nonnunquam mandata talia contineri volunt. Nec etiam ex actibus hujusmodi simpliciter & absolutè mors sequitur. Censentur tales secundum illud Senecæ, *memorabiliter & in opere virtutis* mori voluisse. *vid. Dn. Pufendorff. Elem. Jurispr. lib.* 2. *def.* 4. §. 10. *Dn. Stryck, de Conscient. foro Cap.* 6. *n.* 114. *& seq. Dn. Becman. Doctr. Mor. cap.* 15. §. 2. In historia Romana, hoc nomine prædicatur inter alios *Attilius Regulus*, qui voluntario ad Carthaginenses in captivitatem reditu, (cum pacis causa Romam missus fuisset,) maluit cruciatus hostium subire, quam Romæ manendo

patriæ periculum attrahere. Causæ speciales hujus facti esse potuerunt, (1.) Fides data, quæ etiam hosti servanda. (2.) Ne, si contra datam fidem Romæ maneret, id aliis captivis vel capiendis exitio esset. (3.) Romæ oportuisset tanquam privatum, & extra omnem dignitatem mori. Illicitum verò amborum *Deciorum parentis* & *filii* factum, qui non tantum morti, sed devovendo insuper, se iræ divinæ pro salute Reip. objecere. *Liv. l.* 8. *c.* 9. *lib.* 10. *c.* 28. Item Curtii; pro salute Reip. se in voraginem præcipitantis, quamvis Valer. Max. dicat: *Nullum pietate Curtii erga Patriam clarius observari exemplum. lib.* 5. *c.* 7. *vid. Dn. Becman. dissert. de piet. Subd. erga princip. it. de Exsuperant. obsequii. tot.*

§. 9. Distinguenda verò ab recensitis obedientiæ gradibus, *obedientia cœca*, qua ad quævis mandata superiorum subditi se prosternunt. Semper enim obsequium debet esse rationale. *Cœca*

verò

verò imperata facit ſine ratione, aut intuitu connexionis cum ſtatu ſuo. Talis eſt *Turcarum*, quippe qui non dubitant juſſu Imperatoris in præſentiſſimam mortem ſe præcipitare; imò Martyrii in loco habent, perſuaſi eum, qui mandatis Imperatoris immoritur, in continenti in Paradiſum transferri.

§. 10. Quamvis etiam Principibus Dii ſummum rerum arbitrium dederint, ſubditis ſola obedientiæ gloria relicta, non tamen in omnibus caſibus exigi poteſt. Excipiuntur itaque *injuſta* & *inhoneſta*; quia in his obedientia crimen foret, & injuſta & inhoneſta in nullius poteſtate morali ſunt. Quæ *contra conſcientiam*, quia talia nec in noſtra, multo minus aliena poteſtate ſunt. Huc pertinet, ſi *Religio aliena* & *conſcientiæ noſtræ contraria* obtrudatur. *conſ. cap.* 15. §. 6. 8. Conditio enim imponitur ultra humanum modum, & ſubjectio redditur calamitoſa; Unde & emigrare juſte poſſunt. Conf. *Matth.* 10.

vs. 23. *D. Becman. diss. de Jur. Recip. Exul. fidei socios. tot. & §. 6. h. c. add. Conring. de fin. imp. l.* 2. *c.* 19. *n.* 5. & contrarias opiniones præprimis Machiavellorum illud impium assertum: *quod Princeps Religionem, prout variat fortuna, mutare queat*; examinantem Clasen. *de Rel. Pol. c.* 13. Item *Absurda*, quia evertunt dignitatem hominis, e. g. si jubeantur omnes nudi incedere. *Quæ saluti Reipubl. adversa*, unde & Sauli cædes, licet ipse illam expetierit, sine crimine peragi non potuit. Unctus enim domini erat. Unde & juste percussorem illum gloriantem David occidere jussit. 1 *Sam.* 31. *vs.* 4. & 2. *Sam.* 1. *vs.* 9. 10. 14. 15. 16. Alia verò principia & ratiocinia subditorum pro exsuta aut exsuenda obedientia, in quantum tranquillitati & paci publicæ adversa, docet Hobbes *de Cive. lib.* 1. *c.* 12.

§. 11. Nota subjectionis est *Homagium*, quod vel in initio inaugurationis vel postea accedentes subditi Principibus præstant, ut eò certius ipsis subjectio

ſubjectio & obligatio (etiam hoc non præſtito debita,) conſtet. *Vid. Excell. Dn. Lyncker. diſſ. de relig. obſeq. & Nobiliſſ. Dn. Luder. Menckenii, Exerc. de jurejurand. Civium. tot.*

§. 12. Omnes, qui in Republ. ſunt extra perſonam Principis, ſunt ſubditi. Etiam perſonæ Eccleſiaſticæ, quia Eccleſia in Republica, & à Republ. defenſionem habet. An *peregrini* in Republ. admittendi, prolixè à Politicis diſputatur. Pro negativa allegatur, maximum in ſtabilienda Republ. Romana momentum addidiſſe, quod aliquando nullos, aut ad minimum ſolos Italos, alienigenas receperint in civitatem. *Machiavell. de Republ. l.* 1. *diſp.* 6. Sed expedire admiſſionem peregrinorum, ex eo pâtet: quod grande momentum ad amplificandam Rempubl. conferant. *Dn. Becman. diſp. de Indigenatu* §. 13. *& ſeq.* Actus, per quem peregrini in Rempubl. recipiuntur, eſt *Naturaliſatio*, qua Reſp. peregrinum

pro indigena, atque jurium suorum capace habet, & veluti format, quem natura talem non fecerat, qui hac ratione *Jus indigenatus* seu *naturalitatis* nanciscitur. Facultas *naturalisandi* dependet ab auctoritate publica, & in Anglia & Gallia per Decreta Parlamentaria exercetur. Triplex verò metus, si nimiùm crescat admissorum peregrinorum numerus, (1.) ne conspiratione indigenas opprimant, (2.) ne hostibus se adjungant, & (3.) ne vi exitum quærant. *Judæi tolerandi*, licet sint exemplum iræ & maledictionis divinæ, in spem conversionis, *Rom.* 11. *vs.* 25. *Hosea* 3. *vs.* 4. *&* 5. quia & tandem erunt subjectum Misericordiæ & Gratiæ Divinæ in generali ipsorum conversione. *Vœt. Disp. Select. vol.* 2. *f.* 90. 91. *Diss. VVurmser. Exerc. Jur. Publ. Exerc.* 4. *quæst.* 18. *add. alleg. Clasen. c.* 12. *& cap.* 15. §. 8. Tum & ne vicinorum potentia per egressum augeatur. Sic non leve ex illorum ejectione detrimentum passi Hispa-

Hiſpani; Judæi enim, qui ſub Ferdinando ad Turcas migrarunt, una uſum tormentorum, & ſimilium ad eos perduxerunt. Labefactata quoque Reſpublica. E contrario Mauri ejecti in Regno Galliæ benignè recepti ſunt, ſi Chriſtiani fieri vellent. *Vid. D. Becman. hiſt. geograph. part.* 2. *c.* 1. *p. m.* 447. In Polonia ideò tolerantur.

§. 13. Subditi denique alii ſunt *Eminentioris conditionis*, alii *purè obedientes*, & *inferioris conditionis*, & in ſpecie vocantur *ſubditi*. Oritur autem eminentia illa, vel ex natalium ſplendore, ſeu generis claritate, qua eminent Nobiles, *add. D. Mauritii Diſſ. de Nobilit. imprimis German. tot.* vel ex officii reſpectu, quo præcedunt Conſiliarii ex officio nobilitati, & qui aliis præclaris in Aula officiis præſunt. vel à Doctrina, quæ nobilitat Literatos, Tam *Theologos*, *Jureconſultos*, quam *Medicos* & *Philoſophos*. Doctores Nobilium numero inſerendos eſſe docent

in Imperio Romano Recess. Imper. in quibus Doctoratus privilegia, cum Equestri dignitate conjunguntur. R. I. zu Augspurg. de anno 1500. Tit. von überflüssigkeit der kleider. §. item die von Adel/ so nicht Ritter oder Doctores seind/ sollen kein Gold noch Perlen öffentlich tragen. Quicquid grunniant artium Liberalium & Literatorum contemtores. *Vid. omninò Guilh. Antonii dictus Freundenberg. de Rescript. Morator. Conclus.* 68. *n.* 31. Idem dicendum de Licentiatis promotis, qui de consuetudine generali in favorabilibus, non verò in odiosis, pro Doctoribus habentur; Doctorum verò privilegiis & immunitatibus gaudent. *Becker. S. J. Publ. lib.* 4. *c. ult.* §. 9. *& VVurmser. Ex. J. P.* 4. *quæst.* 11. Non verò Rabulæ isti forenses & Canini Causidici Doctorum & Nobilium titulo dignandi. Castissimam enim Themidem prostituunt ruditate & ignorantia sua, & ventosa atque enormi loquacitate.

tate. Certè minimè merentur insigne istud Elogium *l.* 14. *C. de Adv. div. judic. vid. Ziegler. dissertat. Rabulisticam, procem. & tot.* Quoad Doctores juris videantur quoque *l.* 2. *in fin. ff. de excusat. tut. l.* 4. §. 11. *in fin. d. tit. l.* 7. *C. de postul. l.* 2. §. *fin. ff. qui per tut. l.* 2. §. 9. *C. de vet. jur. enucl. Nolden. de Nobil. cap.* 5. *conclus.* 37. *Dan. Otto. Jur. publ. c.* 9. *Matth. Stephan. de Nobilit. lib.* 9. *n.* 9. & 27. *VVurmser. Ex. J. P. Ex.* 4. *quæst.* 17. Denique ob armorum summam necessitatem, Milites eminentioris conditionis meritò esse censentur: Ac etiam qui Capitanei, & sublimiora officia gerunt, optimo jure Nobiles salutantur, & salutari possunt. *Besold. Syn. Doctr. Polit. l.* 1. *c.* 16. §. 15. Reliquæ subditorum prærogativæ & dignitates ex mercatura, & artium ingenio ac subtilitate æstimandæ. *Besold. cit. loc. Horn. in annot. ad Burgersdick. cap.* 24. *Thes.* 13. An Subditi à Principibus libere per donationes, venditiones,

simplices

simplices permutationes transferri possint, examinat, & affirmative quæstionem decidit Conring. *de finib. imper. lib. 2. cap. 1. n. 15. & seqq.*

CAPUT XXIII.

De Tributis.

§. 1.

SUbditi *Tributa* solvunt, tum in recognitionem superioritatis, tum tanquam mercedes pro defensione salutis & bonorum suorum, & ad sublevandam in oneribus Rempublicam. *Hobbes de Cive. c. 12. §. 9.* *Hoc ratio suadet*, ait Loccenius, *de Rep. apum. c. 7. & usus postulat, & necessitas jubet, ut qui sub umbra pacis, ac publicæ quietis tutela degere cupiunt, etiam defensionis ac tranquillitatis publicæ subsidia pro debita portione conferant.* Hoc qui probè ponderaverit, fatebitur iniquas sæpè ac impudentes esse vulgi querelas, cui maxima ferè miseriarum suarum causa

videtur

videtur tributorum gravitas; ut utar verbis Dn. Pufendorfii *de J. N. & G. l.* 8. *c.* 5. §. 4. Sane opus in Republica opibus, ſine quibus nihil fiet, quod opus. *Lipſ. Civ. Doctr. lib.* 4. *c.* 9. *Nec quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt*, ait *Tacit. l.* 4. *hiſt. c.* 74. *n.* 2.

§. 2. In univerſum verò ſumptus publici certa quantitate includi ſemper non poſſunt; ob varios caſus, qui non à nobis, ſed à vicinis noſtris dependent, ad quos diſpellendos pecunia opus eſt. Unde *magnitudo* Tributorum ex neceſſitatibus Reipubl. dependet, quæ tempore belli majora ſunt, quam pacis tempore, quia neceſſitates tunc majores. Et hinc in ſingula perſonarum capita, patrimonii & quæſtus habita ratione, onus quandoque conſtituitur, German. Kopffgelt/ Hauptgelt/ de quo Dn. Tesmarus, *eleg. diſſert. de Cephaletione.* Ut taceam alios, qui Belgis & Venetis, nec non aliis in uſu ſunt,

augendi

augendi ærarii publici pro re & necessitate nata, modos. Summi verò Imperantes sapientissimè, & maxima, qua pollent prudentia, hactenus querulo vulgi ingenio se adtemperare & accommodare solent, ut quantum fieri potest, minimo quasi cum sensu & motu tributa colligantur. In Imperio nostro Roman. Germanico jus hoc est penes *Imperatorem* & *Ordines* seu *Status Imperii. Illustr. Dn. de Rhetz inst. jur. publ. l. 1. tit. 4. §. 36. & lib. 2. tit. 2. §. 4. Myler. ab Ehrenb. de Princ. & St. Imp. part. 2. cap. 62. Nobiliss. Dn. Vitriarius, inst. jur. publ. lib. 3. Tit. 18. §. 62. & seq. Schvveder. intr. jur. publ. part. spec. sect. 1. cap. 26. §. 7. & seq. it. sect. 2. c. 15. §. 1. & seq.* Optime etiam faciunt Principes, qui de imponendis tributis cum statibus suis deliberant. Facit hoc etiam ad conservandam inter imperantes & parentes, harmoniam mutuumque amorem. *Ziegl. de J. M. lib. 2. c. 3. §. 2.* Inter contribuentes debet quoque observari pro-

proportio, & quidem Arithmetica, quia tributa optimè se habent, si pro modo facultatum, negotiationum, & possessionum injungantur & exigantur. *Franzk. ad ff. tit. de Just. & J. n. 27.*

§. 3. Omnibus verò personis indistinctè imponi non possunt: quidam enim alia ratione fines hos explent; Quales personæ functionibus publicis oneratæ & ornatæ; Consiliarii, Professores &c. alias enim gemino onere premerentur in Republ. Consulendo Reip. & onera ejus sustinendo. Excipitur casus summæ necessitatis, *c. 2. de censur. c. 2. de immun. Dn. Struv. S. J. C. Ex. 20. th. 63.*

§. 4. Crebrò mutari non expedit Reipublicæ, quia omnia in incerto collocantur. Posito enim certo modo tributi, secundum hunc etiam rationes suas subditi instituunt, eodem vero mutato, mutantur & rationes subditorum, unde confusio. Imò omnis mutatio in Republ. etiamsi in melius fiat, tamen

tamen hoc ipſo mala, eo quod ſine ullis incommodis & turbis Reip. vix fieri poſſit.

§. 5. Modus tributa exigendi voluntati Principis relinquendus; in ejus enim arbitrio poſitum, quem modum tributa colligendi præſcribere velit. Semper quoque præſumptio eſt, Principem pro Republ. velle id, quod ſaluberrimum ſeu optimum eſt. *Conf. hic Boxhorn. disquiſ. polit. caſ.* 42.59.60. add. omninò *Nic. Myler. ab* Ehrenbach / *Nomolog. Ord. Imp. cap.* 4. §. 12. *& ſeqq.*

§. 6. Quid de *Accifiis* dicendum? Rꝶ. inſerviunt in ſublevationem tenuiorum, dum minorem in Re domeſtica habent conſumptionem rerum quotidianarum. Hæc civitatibus inferioribus non competunt, niſi quatenus ſunt conceſſa aut expreſſa voluntate Principis, aut immemorialis poſſeſſionis patientia. *Mevius part.* 7. *deciſ.* 158. Et ab his acciſiis præſtandis, utut immunitatem generalem quis habeat, non liberatur, niſi legi-

legitimè acquisitam & concedentis voluntatem doceat. *Mev. part. 3. decis. 157.*

§. 7. Bona quoque subditorum pro tributis & aliis, quæ debent Principibus, per receptionem juris civitatis, ex eo tempore, quo cives seu subditi facti, pro tributis obligata sunt. *l. 1. C. in quib. caus. pign. tac. l. 46. ff. §. 3. de Jur. fisci. Mevius consil. 62. n. 24. & seq.*

CAPUT XXIV.

De Ratione Status.

§. 1.

NOn autem solum externis mediis civium seu subditorum salus & bonum publicum procuratur; sed & arcanis & occultis Consiliis & actionibus Status Reipubl. conservatur; noxia & utilia, prout ad tranquillitatem & salutem subditorum facere possunt, ponderantur. *arcana hæc & obliqua Rempubl. regendi & conservandi ratio*, dicitur *Ratio Status.*

§. 2. Et

§. 2. Et rem esse antiquissimam, ex eo patet, quod fuerit, antequam Respublicæ fuerunt; nulla enim unquam privata domus exstitit, quæ non status sui rationem i. e. studium se cum familia seu domo conservandi, habuerit. Imò, *homo quam primum nascitur, sibi conciliatur, & commendatur ad se conservandum, & ad ea, quæ sunt conservantia sui status diligenda; alienatur autem à suo interitu, iisque rebus, quæ interitum videntur afferre*, ut ait Grot. *lib.* 1. *c.* 2. §. 1. *n.* 1. *add. Comment.* Et quicquid antea fecerunt homines, hodiè faciunt, & in posterum facient, illud ex status ratione i. e. studio se conservandi, fluxit, quod in ipsis mundi cunabulis enituit, uti §. seq. videre erit. Sic in Sacris quoque Abrahamus & Isaacus, uxores suas formosas, hic Rebeccam, ille Saram, sorores dixere, ex status sui ratione; dicebat enim Abraham interrogatus, quare hoc fecisset, se cogitasse, nullam pietatem ibi loci

loci esse, & hinc metuisse occisum se iri, ob uxorem. *Genes.* 20. *vs.* 11. Isaacus, ne occiderent se propter Rebeccam, quod forma liberali esset. *Genes.* 26. *vs.* 7. Filiæ Lothi cum igne eversam videbant patriam, nullos masculi generis superesse putarunt, unde semen & imprægnationem exspectare possent, ideò ex status ratione, à patre suo vino somnoque sepulto, se clam imprægnari fecerunt. *Genes.* 19. *vs.* 31. *& seq.* Jacobus ob privatam status sui rationem, studio nempe se conservandi, ad augmentandum gregem suum baculis versicoloribus est usus. *Genes.* 30. *vs.* 37. *& seq.* Ægyptiis Israelitæ vasa aurea & argentea abstulerunt, ex status ratione, ob detentam mercedem, Deo dispensante, uti & in facto Jacobi. Dicique potest Deum hisce casibus fecisse, quod humani judices facere solent, creditores nempe immisit in bona morosorum debitorum.

§. 3. Nomen Rationis status in usum Politi-

Politicum tractum est ab Italis, & arcanis Rerumpublicarum applicatum. Dixerunt illam *ragione di dominio*, *di signoria*, *di regno*, *d' Imperio*; & omnium elegantissimè *ragionamento di Stato*. Gallis curiosis Rerum æmulis, *la raison d'estat*, dicta, hinc à Politicis tandem Latinitate donata, & *Ratio Status* appellata; quanquam, ut ait Schwederus *Jur. Publ. part. Gen. cap.* 1. §. 5. apud Criticos, & qui elegantiæ Latini sermonis præ cæteris student, ratio status sine veniæ præfatione vix unquam reperiatur.

§. 2. Porro cum Schwedero *all. loc.* dici potest: Illam esse vel *generalem* vel *specialem*. Et generalem iterum vel *intrinsecam*, quæ in suam maximè Rempubl. vel *extrinsecam*, quæ ad vicinos & exteros quoque sagaces oculos vertat, esse: item illam versari vel circa Regimen *introducendum*, vel in pristino statu & vigore *conservandum*.

§. 3. Æquiparatur *Ratio Status Principum*,

cipum, *Mysteriis Sacris* in eo, quod de utrisque non aliter quam cum reverentia & veneratione loqui liceat. Et hinc, quemadmodum in Sacris promiscuè disputationes & Mysteriorum curiosæ perscrutationes vulgo non permittendæ, ob intellectus imbecillitatem, & quod assequi nequeant, & ne causa Dei prostituatur; eodem modo etiam ratiocinia illa subditorum de arcanis Principum refrenanda, quia tum contra naturam parentium, utpote qui arcanam illam Remp. gubernandi prudentiam & rationem assequi non possunt; tum contra dignitatem Principum, quæ prostituitur, nec salva amplius esse potest, si inferioris cujusque judicio subjiciatur. Et posito etiam quod sciant, & assequi possint, fine tamen careret, quia nihil hinc conferrè possunt ad causam publicam. Itaque ratiocinia hæc degenerant in πολυπραγμοσύνην exitiosam. Itaque uti Mysteria in Sacris non temerè scrutanda, sed potius piè & humiliter cre-

denda, ob erroris facilitatem, ita nec arcana Principum, ob eandem rationem. Quis quæso non agnoscit, quàm arduum sit in rebus Principum congruè versari, quippe quas parendo solum suscipere, non docendo tradere possumus. Proinde verè dixit in Senatu Romano M. Terentius, Vir Equestris Ordinis ad Principem suum: *Non est nostrum æstimare, quem supra cæteros & quibus de causis extollas: Tibi* summum judicium *Dii dedere*: *Nobis obsequii gloria relicta est. Spectamus, quæ coram habentur; Abditos Principis sensus & si quid occultius parat, exquirere illicitum, anceps, nec ideò assequaris. Tac. an.* 6. *c.* 8. 5.

§. 4. Sola itaque hæc & vera *Principum Philosophia, arcana Reipublicæ scrutari, naturæ arcanis otiosis relictis*, ut eleg. Strada. *Decad.* 1. *lib.* 5. Imò Principis hac in parte philosophia debet esse (1.) *Architectonica*, ita ut ipse non tam agat, sed aliis præsideat, eosque ad officium compellere sciat, in-

ſtar architecti, qui dirigit & diſponit circa formam ædificii exſtruendi, & ipſe verò manum operi non admovet, opera inferioribus relicta. (II.) *Univerſalis*, quia officium ejus univerſale. Ita, ut omnia expedienda ſciente, volente & approbante Principe expediantur. Ideoque univerſalis omnium cognitio in Principe neceſſaria. Eleganter hanc in rem propria experientia edoctus Sereniſſ. Angliæ Rex Jacobus *Don. Reg. lib.* 2. *p.* 61. *Quo pacto enim omnes corrigas & redarguas, (quod Tui eſt officii) niſi omnes noveris.* Et quidem non ſolum ſuorum, ſed & exterorum ratione univerſalis eſſe debet. Hæc eſt generalis illa ratio ſtatus, de qua §. 2. *h. c.* Sic Tyberius Imperator in hoc genere adeò ſolicitus fuit, ut nihil eorum ignoraret, quæ apud hoſtes futuros agerentur, ita ut ſæpiuſcule ex ipſorum Stratagematibus compendium duceret. Et aliquando Wilhelmum Principem Orangii, apud Chriſtophorum Aſſonvilium, glo-

riatum legimus: Nullum prodire è Regis Philippi II. ore verbum seu privatim seu publice, quin ad ejus aures in Belgium fideliter afferatur. Item olim laudatus Hispaniarum Rex, quod ipse Principum Europæ arcana quasi præsens intueatur. (III.) *Incommunicabilis*, i. e. soli Principi propria, & quibus arcana sua revelant, Consiliariis intimis. Qui enim nimium patet, suus esse non potest. Et *multa benè ordinata, improvida custodia perdidit*. Occulta etiam & ignorata ab omnibus minantur partibus, valentque non parum ad inimicos & hostes aliò distrahendos: è contrariò tela prævisa minus nocent. Hoc nomine quoque celebratur Tiberius, dum dicitur, quod fuerit *simulandi artifex*, quod est *Taciturnus*, unde & suspiciones de diriori ejus Regimine; Id quod & hodie Taciturnis & Arcanorum tenacibus accidere solet, ut quo secretius sua consilia abdunt, eò magis suspicionibus sint obnoxii, quia occulta

culta ab omni parte metuuntur. Henricus VII. Rex Angliæ. *vid. Verulam. vit. Henr. VII.* Et Wilhelmus I. à Strada *dec.* 1. *lib.* 7. ſequentibus: *Et verò ad novandas res*, inquit, *haud ſcio, an ullus unquam mortalium fuerit inſtructior, quam* Orangius. *Ingenium ei præſens & occaſionum haud ſegne, ſui obtegens, etiam iis, qui arcanorum ejus conſcii ferebantur, inacceſſum.* Hic à Cardinali Gravellano *Taciturnus* dici ſolitus; *vid. Strad. dec.* 1. *lib.* 6. quid Taciturnitas in expediendis negotiis magni momenti valeat, & quale momentum non addat, exemplo majorum incomparabilis ille Angl. Rex Wilhelmus III. in expeditione ſua Anglicana, Duce Deo, docuit.

§. 5. Ex dictis *coll.* §. 1. patent Requiſita Rationis Status; quod nimirum eſſe debeat *Arcana*, ne alii propoſitum noſtrum ſciant; & *obliqua* i. e. ut ſerpentes repunt, ne, in quem finem apparatus noſtri tendant, concipi poſſint,

ſed ut externa rerum ſpecie decipiantur.

§. 6. Partes Rationis Status ſunt, promovere commoda Reipublicæ, & facultatem nocendi alteri adimere. Unde & Jure poſitivo Civili & ordinario contrariatur & auctoritatem adimit, vim & virtutem Legis temperat & flectit, ſeu, ut lumen majus, minus tegit; Item quod ſingulis damnoſum, facit & admittit, neglecto privato commodo, omnia ad ſalutem publicam promovendam.

§. 7. Exercitium verò Rationis Status ita inſtitui debet, *ne Jus alienum tollatur. Grot. lib.* 1. *c.* 2. §. 1. *n.* 6. Qui enim ſpretis alienis juribus ſua tantum commoda quærunt & curant, propriæ tranquillitatis monumenta reſcindunt. *Grot. proleg.* 18. Illud enim jus, quod in aliis negligimus, illud & alii in nobis negligendum eſſe cenſent. Unde qui alteri ſuum aufert, non poteſt de injuria queri, ſi & ſuum ſibi viciſſim auferatur; ob negligentiam propriæ tran-

tranquillitatis. Hinc nec ex ratione ſtatus fides alteri data frangenda; mox enim auditur tritum illud: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Nec frangens de injuria ſibi facta queri poteſt, quia in propriam ſalutem injurius, & monumenta propriæ tranquillitatis ipſe frivole reſcindit. Fracta etiam ex ratione ſtatus fides, frangentibus tandem malorum omnium colluviem attraxit; & à Deo, qui lento gradu ad vindictam ſuam procedit, graviſſimè puniti. Exemplum in Sacris in Rege Zedekia. 2 *Reg.* 24. *vſ.* 17. 2 *Chron.* 36. *vſ.* 11. 12. *& ſeqq. & præprimis Ezech.* 17. *vſ.* 12. 2 *Reg.* 25. 6.

§. 8. Hinc diſpeſcitur Ratio Status in *Genuinam*, quæ commoda ſua quærit citra læſionem juris alterius. Eleganter hanc in rem Seneca *Epiſt.* 104. *Magnanimos nos natura produxit, & ut quibusdam animalibus ferum, quibusdam ſubdolum, quibusdam pavidum, ita nobis glorioſum & excelſum ſpiritum,*

quærentem ubi honestissimè, non ubi tutissimè vivat, dedit. Et *spuriam*, quæ saltem privata commoda & utilitatem quærit, citra respectum alieni juris, an illud lædatur, vel dominii causa justa sit, nec ne. Et hæc Machiavellistis, qui, quicquid utile est, pro justo habent, & utilitatem justitiæ mensuram constituunt, adscribitur. Ast infelices facit utentes; & præ oculatissimis sunt talpis cæciores, per evanida hujus mundi gaudia in æternæ miseriæ barathrum, se præcipitantes. *Vid. Tabor. de Contr. & jur. colonar. provinc. Coroll.* 1. 2. *it. Tr. de Confrontat. disp.* 2. *th*. 19. Talis fœda & barbarica apud Turcas est parricidium fratrum ad conservandum imperium, & ne habeant, quod metuant. At qua ratione scelera hujusmodi & flagitia excusari possunt? Cum in arcanis hisce, Religionis, fidei & pudoris ratio quoque haberi debeat. Nisi dicas cum Mchiavellistis, Principem Imperium & vitam debere conservare; quibus

bus autem id fiat rationibus, nihil interesse, modo aliquam honesti speciem præseferant. *Besold. S. D. Pol. lib. 2. cap. 9. §. 17.*

§. 9. Tali fraudulenta & spuria Ratione Status in Sacris quoque usus auctor illius Satanas, ad amplificandum regnum suum tenebrarum in seducendis primis nostris parentibus, *Genes. c. 2. & 3.* His etiam habita Status ratione arridebat propositus ille felicissimus status, & hinc in obedientia erga Deum non permanserunt, persuasi conditionem suam meliorem futuram, sed immane quantum decepti. Ex ratione Status hac spuria, Cainus primogenitus omnium mortalium, primus parricida factus; ob primogenituram primam sibi à Deo quoque gratiam arrogans. Et cum votum hoc ipsi denegaretur, statum & auctoritatem suam hinc magnum præjudicium pati, si quem natura postposuerat, sibi præponi permitteret, persuasus, fratrem tanquam æmulum

& conſortem è medio ſuſtulit. *Gen. c.* 4. paria Orbis & Urbis Romæ fata fuere: *Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.* Nam urbis conditor Fratricida fuit. Ex ratione Status Eſaavus Jacobo, ob præreptam nempe benedictionem paternam, necem inferre quæſivit. *Gen. cap.* 25. Ex ratione Status Joſephum fratres ſui odio habuerunt, è medio tollere tentarunt, diſſuadentibus tamen duobus, prætereuntibus Iſmaelitis vendiderunt. *Geneſ. cap.* 37. Ex eadem Pharao multiplicationem Iſraelitarum impedivit. *Exodi c.* 1. Abimelech ſeptuaginta ſuorum fratrum; ne haberet æmulos & conſortes Regiminis, interficere curavit. *Jud. c.* 9. Saulus Davidem perſecutus & occidere quæſivit. 1 *Sam. cap.* 20. Salomon Jeroboamum. 1 *Reg.* 40. Ex ratione Status Joabus fortiſſimum Heroem Abnerum, interfecit. 2 *Reg.* 3. Jerobeam vitulos aureos conflari juſſit. 1 *Reg.* 12. Athalia omne ſemen Regium Domus Judæ, excepto

Joa,

Joa, trucidavit. 2 *Reg. c.* 9. *&* 2 *Chron.* 22. Ex ratione Status diabolica, Herodes ad Infanticidium eſt ſeductus. Judas ad proditionem Domini ſui Salvatoris noſtri unici, inſtigatus. Ex ratione hac Status Pilatus Jeſum ad mortem crucis condemnavit. *Joh. c.* 19. *Luc.* 23. *Marc.* 15. *vſ.* 15. *vid. plur. Reincking.* Bibl. Policey. *lib.* 2. *axiom.* 37. 38. *& ſeqq.* Ex his videmus, tum genuinam tum ſpuriam tam à bonis quam malis, adhibitam fuiſſe Rationem Status, tam ab imperantibus quam ſubditis; & quidem ab unoquoque ad conſervandum Statum ſuum. Habent præprimis cuncta imperia & in iis imperantes, peculiaria ſua fundamenta & ſecretas rationes, quo ſtatum publicum, & ſe in vigore & flore conſervant. Tales olim David cum Salomone filio ſuo communicavit. 1 *Reg.* 1.

§. 10. Quatenus *ſimulare* liceat, diximus *cap.* 1. §. 2. Et *an Strατagemata bellica licita*, *cap.* 16. §. 19. In Materia

hac de Ratione Status pertractanda palmam ferè omnibus præripuit Dn. de Jena. *Dissertat. de Ratione Status. conf. Joh. Hieron.* Im Hoff. *de Rat. Status.*

CAPUT XXV.

De Rerumpublicarum Speciebus.

§. I.

DIversæ illæ Rerumpublicarum species ex varietate administrationis oriuntur. Et optima & commodissima Rerumpublicarum distributio est, quæ ex numero personarum ad clavum Reipubl. sedentium, seu Rempublicam administrantium, desumitur. Cum igitur Respublica administratur & repræsentatur vel per *unum*, vel per *Eminentiores* ex civibus, vel per *universitatem* seu plurimos, rectissimè & commodissimè dividitur in *Monarchiam*, *Aristocratiam* & *Democratiam. add. D. Pufendorf. de. Offic. hom. & civ. lib.* 2. *cap.* 9.

§. 2. *Mo-*

§. 2. *Monarchia* itaque dicitur, ubi ſumma Reipubl. poteſtas penes unum reſidet. Seu, ubi unus eſt, qui repræſentatione jura & actiones Reipubl exercet. Et hanc commendat (1) *Antiquitas* & *Splendor*; quod maximè oculos hominum perſtringat, ut divini aliquid in Regio hoc unius imperio, magis eſſe arbitrentur, quam in alio, cum in omni imperio ſit. Et è contrario Majeſtatem in multis diviſam non adeò agnoſcat vulgus, aut miretur. (2) *facilitas expediendi negotia*, quæ princeps commendationis ratio politica dici poteſt, in reliquis enim ſpeciebus, propter tot capita & diſſenſum, tarditate hæc impeditur.

§. 3. *Ariſtocratia* ubi Eminentiores è civibus, ſeu optimates ſummam poteſtatem habent, & Remp. repræſentant. Ad conſtituendam itaque Ariſtocratiam requiruntur aliquot optimates, unus illam conſtituere nequit, quia Ariſtocratia non dicitur, quaſi κρατία

τȣ ἀρίςȣ: Imperium Optimi, sed κρατεία τῶν ἀριςῶν: *Imperium Optimorum.* Et hinc, si unus solus administret Rempubl. Monarchia erit. Nec numerus præcisè definiri potest, quia variat pro quantitate & qualitate Reipublicæ. Apud Lacedæmoneos 30. Optimates, Pharsaliorum Reip. 20. Epidauriis centum & octoginta imperantes seu optimates præfuerunt. Vetus Massiliensium Respubl. ad Littus Celticum sexcentos optimates habuit. Andreas Doria an. 1528. in formanda Genuensium Republ. viginti octo præposuit.

§. 4. *Democratia* dicitur, ubi summa potestas est penes populum, seu ubi universi Cives Remp. repræsentant. Non tamen à toto populo jura Reipublicæ exercentur, sed populi totius nomine, quidam ab universis civibus selecti cæteris omnibus imperant, & secundum leges strictissimè observandas jura Reipublicæ exercent. Rarissimè hæc Reipublicæ forma in Asia & Africa visæ,

visa, Carthaginem si excipias, quia Regibus & jugo quasi assueti. Unde Cappadoces apud Justinum, negabant gentem suam sine Rege vivere posse. Persæ assueti sub Regibus vivebant. *Curt.* 10. 5. In Europa nostra frequens, & inde, quia Europæi confidentiores, & semper liberius haberi & gubernari voluerunt. Græci antiquissimis temporibus, mox Romani, & nunc Veneti, Helvetii & Belgæ, Genuenses, Lucenses, &c. Respublicas Liberas formarunt. *Belgarum* legatis sæpius non leve dedit incommodum, quod Populi orientales Reipubl. Liberæ Imperium assequi non possent; & ideò tandem Nomen Principum Arausionensium substitui oportuit, ut in ipso tanquam Supremo Belgarum capite subsisterent. Et hæc ipsa Regiminis Forma, cum Belgæ Legationem ad Tartariæ & Chinæ Regem *anno* 1655. mitterent, Consiliarios Regni Chinensis diu ambiguos habuit. *vid. Neuhoff. Sin.* Reißbeschreib.
pag.

pag. 161. Atque has duas species commendat Libertatis sensus.

§. 5. Quænam Reipublicæ Forma sit optima & præstantior, Monarchiane, an Aristocratia, an verò Democratia, solicitè non examinabimus; quia *singulis Reipubl. speciebus manent sua incommoda*, & non ex præstantia hujus aut illius formæ, sed ex voluntate jus metiendum est. *Grot. l.* 1. *c.* 3. §. 8. *n.* 1. 2. Et prout universa nostra vita sine incommodis duci non potest, ita nec propter imbecillitatem in hac vita assequi possumus statum publicum ex omni parte beatum. Proinde unusquisque tutissime in eo statu acquiescit, in quo minora incommoda & imperfectiones sentit & deprehendit. Nullus enim status hisce in terris perfectus sperandus. Conf. inter Politicos de formis his controv. *Horn. in annotat. ad Burgersdick. c.* 21. *O.* 3. *Keckerman. curs. phil. disp.* 36. *probl.* 1. 2. 3. *Rumelin. ad A. B. p.* 3. *diss.* 2. §. 22. *& seq. & ibid. Myler. in addit.*

§. 6. Di-

§. 6. Diversæ hæ Rerumpublicarum species seu formæ, non aliam habent causam, quam diversa hominum ingenia, quæ prout instinctu naturali ducuntur, hanc, illam, istam formam Reipubl. amplectuntur, eaque regi volunt. In unaquaque Regione proprius veluti spiritus dominatur, qui nascentibus hominibus habitum & cupiditates ingenerat. *Grot. l.* 1. *c.* 3. §. 8. *n.* 2. Sic pars vetustissimarum gentium Germanorum consuetudine Regibus paruere; uti Tacitus de *Eburonibus*, *Gothonibus*, *Rugiis*, *Lemovicibus*, *Cimbris* testatur. Multi populari regimine gavisi, de minoribus rebus primores gentis, & promptissimos vulgi audiebant, de majoribus omnes consultabant. Nonnullis Reges erant, suadendi magis auctoritate, quam jubendi potestate præditi. Quales Reges veterum Spartanorum *conf.* §. 2. *cap.* 8. Et Eburonum, quorum Rex Ambiorix apud *Cæsar. lib.* 4. fatetur: *sua esse ejusmodi imperia, ut non*

non minus haberet in se juris multitudo, quam ipse in multitudinem. Pro ut itaque Populi habent ingenium jugo assuetum & servile, uti *Turcæ*, qui & hinc obedientia cœca imperatoribus parent. *Salmas. defens. Regia. cap. 8. p. m.* 251. Item *Africani*, (quod ex maledictione Chami, eo quod ex ejus progenie nati, quam maledictio divina affecit, ortum habere colligunt, nec stabile hinc condere potuisse imperium statuunt.) Vel in Libertatem ferax, degenerans, & illam amans, ita ut amore potius, quam Imperio Principum regantur; Vel Monarchiam affectans, & ad ferendam asperitatem dominantium patiens, eodem modo etiam Respublicas formatas esse videmus.

§. 7. Hinc observatio hæc Politica fluit: Maximè necessarium esse Principibus, ut cognoscant subditorum animos & ingenia. Secundum illud: *Principis est virtus maximè nosse suos.* Non alia enim ratione Carolus V. tot diver-

fissimas

fiſſimas gentes, nim. Italos, Germanos, Belgas, Hiſpanos, in officio continuit; quam quod ſingulorum ingenia exactè cognoſceret, adeoque Italus cum Italis, Germanus cum Germanis, Belga cum Belgis, Hiſpanus cum Hiſpanis eſſet. Specialia ſingularum nationum naturalia recenſet Barclaj. *in Icon. animor.*

§. 8. Quid dicendum de *Republica Mixta*, quam ex commixtione, vel Monarchiæ & Ariſtocratiæ, vel Ariſtocratiæ & Democratiæ, vel Monarchiæ Ariſtocratiæ & Democratiæ conſtare & coaleſcere volunt; an hæ tres ſpecies commiſceri poſſunt? ℞. Propriè non poſſunt, quia præter unum, plures vel omnes non datur quartum. Obſervandum verò, diſtingui à Politicis inter formam Reipublicæ & ejus adminiſtrationem; Cum ergo modus adminiſtrandi Rempubl. à forma Reipubl. differt, id Politicis paſſim Respublica Mixta dicitur. Eo quod ſimplex

plex aliqua Respubl. Democratica Aristocratice gubernari possit; ut maneat tamen simplex Democratia. Quia jura Majestatis in hac penes populum, tanquam dominum proprietarium, uti Hornius ait; manent. Et Aristocratia Monarchice, exempli loco ponitur Respublica Venetorum quæ Aristocratica, modus tamen gubernandi Monarchicus, quia per Ducem regitur. Item Polonia, quæ Respublica quidem Libera, modus verò administrandi Monarchicus. Item Monarchia Aristocratice, exemplum in Imperio Romano-Germanico. *Schvveder. Jur. Publ. part. Gen. cap.* 4. §. 49. 50. *& sequent.* Monarchicum esse novissime defendit Celeber. Dn. Linckerus. *Antecess. Jenens. prim. Diss. de Forma sive Stat. S. R. Imperii. tot. anno* 1686. *hab.* Et jam hi modi administrandi non derogant formæ Reipublicæ; quia ipsum jus repræsentandi penes simplices formas, quæ se ab aliis repræsentari patiuntur, remanet.

manet. Et Repræsentantes ejusmodi Respublicas & Regna, sunt veluti imago imaginis. Quia repræsentant eos, qui Rempubl. repræsentant. Uti *eleg. hoc explic. Dn. Becman. Meditat. Polit. cap.* 24. §. 5. *Hornius ad Burgersdick. cap.* 24. §. 5. *in annotat. conf. Conring. in animadvers. in Machiavell. Princip. c.* 3. §. 1. *& Ziegler. ad Grot. l.* 1. *c.* 3. §. 20. qui, quod quoad indivisibilitatem Majestatis objicitur, removet. *conf. it. cap.* 8. §. 37. Si quædam jura competant Regi, quædam optimatibus, quædam toti populo, tunc mistionem fieri ex tribus Rerumpubl. generibus affirmamus. *vid. Burgersdick. all. loc. th.* 24. *& ibid. Horn. in annotat.*

§. 9. Regnum Limitatum, quod nonnulli à Republ. Mixta distinguunt, alii tanquam affine rectè ad illam referunt, (quia si limitatum, simplex aliqua forma esse nequit,) propriè Regnum non est. Nisi limitatio de modo habendi saltem intelligatur; qui ex promisso limitatus

mitatus esse potest. *conf. cap.* 8. §. 45. Species Regnorum *pleni* & *Laconici*, dictum ita à Laconia, Regno in Republ. Peloponensi, eleganter explicat *all. Salmasius in defens. Regia. cap.* 8. *Plenum* verè Regnum est; non *Laconicum*, quia Princeps talis potestatem jubendi non habet, sed tantum auctoritatem suadendi.

§. 10. *Principatus* vox solet apud optimos quosque scriptores denotare Regnum quodque, sive simplex, sive Mixtum. Et si differentia facienda, in solo splendore & amplitudine Provinciarum ea erit quærenda. Quod nempe Regna amplitudinem territorii & majorem splendorem externum habeant. *conf. cap.* 8. §. 43. *Conring. ad Machiavel. Princip. ad cap.* 1. §. 1.

§. 11. Singulare & admirandum, Deum ipsummet in Republica Israelitarum, tanquam Monarcham in Regno suo Sacerdotali, Imperium & Summam potestatem humano more exercuisse.

Unde

Unde & Josephus hujus Reip. Formam eleganter *Theocratiam* dixit: quasi in qua Deus ipse Princeps fuerit. Hanc Rempublicam plane ad humanum modum formatam fuisse, ex modo constituendi apparebit, cum enim ex Ægypto egrederentur, *Populus* erant, i. e. multitudo hominum sine peculiari jure & Imperio, adeoque *materia sine forma*. Et hinc pro lubitu gubernationis formam eligere potuissent, quam voluissent, quia sui juris erant. *Grot. l.* 1. *c.* 3. §. 8. *n.* 2. Imperium verò Divinum elegere, ob immensa sibi à Deo præstita beneficia, & promovenda eò melius commoda vitæ temporalia. Quas rationes Deus ipse in pactione cum populo urget, *Exod.* 19. *vs.* 4. 5. *coll. Deut.* 4. *vs.* 20. *& imprimis* 34. *& cap.* 6. *vs.* 21. vim, & pondus, quod his inerat, populus quoque agnoscit; Et ideò jus se regendi in Deum transtulerunt, & quidem *privativè* i. e. nulla juris parte retenta. Uti ex responsione Populi appa-

ret;

ret: *Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus. Exod.* 19. *vs.* 18. Solennia quoque suscepti Imperii, seu publicatio pacti mox secuta. *cap.* 19. 20. Et mundis vestibus adesse jussi, in *honorem solennitatis peragendæ.* Ipsa publicatio triduo post secuta. *Exod.* 20. *vs.* 16. Decalogus tanquam Lex fundamentalis novæ Reipubl. publicatus. *Exod.* 21. Populus solenniter receptus, *Exod.* 24. *vs.* 8. Primores quoque propius ad Deum admissi *Exod.* 29. *vs.* 9. Sicut & hodiè Proceres Regnorum ad novum Regem. Epulo denique solennitas hæc finita. Videruntque Deum & comederunt ac biberunt *Exod.* 24. *vs.* 11. Deinde Leges forenses latæ *Exod.* 21. *& seq.* pœnæ irrogatæ, *Levit.* 24. *vs.* 10. & *Num.* 15. *vs.* 32. Magistratus instituti, *Num.* 11. *vs.* 16. 17. ipse Moses Vicarius Reipubl. institutus, & Populi ad Deum orator fuit; deinde hunc secutus Josua: *Exod.* 19. *vs.* 7. 8. *Num.* 17. *vs.* 18. A populo quoque recepti & assumpti.

Exod.

Exod. 20. 19. Ordinatio Sacrorum facta, *Exod.* 25. *& seq. Levit.* 1. 2. *& seq.* Ministri Sacri vocati, *Exod.* 28. Feriæ indictæ, *Exod.* 23. *vs.* 14. Tributa quoque imposita, *Exod.* 30. *vs.* 12. *Levit.* 27. *vs.* 30. Nihil itaque in hac neglectum, quod in bene constituta Rep. necessarium; & quæ hodiè in benè constitutis Rebuspublicis observamus.

§. 12. Denique, quando illi, quibus summa rerum in administranda Republica commissa, scil. Principes obstinatè, violata fide, salute publica, justa gubernandi ratione, & jurisjurandi Religione neglecta, fundamenta Reipubl. evertere conantur, generali & vulgari vocabulo *Tyranni* vocantur. Verum cum doctrina hæc suspecta, difficillima sit & plena periculi, nec cum Republ. consistere possit; eo, quod corrupta talis Respublica non sit amplius Respubl. æque ac homo pictus homo non est, & vinum corruptum vinum non est, & virtus corrupta vitium est; Tum

quod etiam vana hæc in Principes sit ira, quia (1.) in Foro humano nec convinci nec damnari Tyrannidis possunt, cum Principes Divini vicarii & sic soli Deo subjaceant. *vid.* §. 30. *cap.* 8. (2.) Posito, sed non concesso, Principem Tyrannum esse, omnes de Tyrannis hypotheses Politicas (*de quib. vid. Boxhorn. Inst. Polit. lib.* 2. *c.* 4. §. 6. & *seq. Tholosan. de Republ. lib.* 6. *c.* 18. §. 20.) in illum quadrare, nihilominus tamen illicitum, ipsum Tyrannum vocare, quia veritas criminis vel vitii ab animo injuriandi nec hic excusabit; quia non justa & excusabili intentione, nec ad finem probabilem, qui excusat, sed ex malitia & animo injurioso talis vocatur. *conf. Mevius part.* 5. *decis.* 389. *Brunneman. ad l.* 18. *ff. de injur.* (3.) Difficillima quoque hujus rei probatio erit, quia Principem dicere Tyrannum, est dicere *consummatum malum*, & extremè malitiosum. Unde & rectè monet Keckerman. *all. sap. Tr. disp.* 35. *embl.*

4. in

4. *in princ*. Nullam in rebus humanis vocem majori cautione uſurpandam eſſe, quām iſtam; Nec facilè aut temerè cuiquam iſtud nomen, quo nullum ad Sathanæ naturam & appellationem accedat proprius, tribuendum eſſe. Non enim Princeps degener, flagitioſæ vitiæ, Homicida, Adulter, mendax &c. & qui vitiis etiam graviſſimis ſe proſtituit, ſtatim Tyrannus dicendus. *Tyrannus* enim *Regi* opponitur, & in quo verſatur virtus Regis, in eodem verſatur vitium Tyranni, nempe in Reipubl. adminiſtratione. *Arniſæus de Republ. c.* 3. *Sect.* 6. Keckerman. *all. loc. embl.* 4. *p. m.* 269. illum definit: *qui datâ operâ in id incumbit, ut Statum omnem evertat publicum.* Tyrannus turpiter abutitur imperio & imperii ſubditis, cum extremo Legum contemptu, cum damno, interitu & ruina ſubditorum. Porro præſumptio illa veritatis & juſtitiæ, quæ pro principe & factis ejus militat, quod ſint juſta, nomen

hoc non admittit. Nec actus etiam Tyrannicus statim Tyrannum facit, quia ex uno actu de universis judicari nequit. Quia denique (4.) *semper Principes præsupponendi tales, quales esse debent*, ex recepta Politicorum Recentiorum doctrina; hinc, ne & nos prout Aristot. definitionem suam Tyrannidis, *l.* 3. *Polit. c.* 5. datam, in Parnasso revocare coactus fuit, apud Boccalin. *centur.* 1. *relat.* 76. doctrinam & verba nostra revocare necesse habeamus, materiam hanc mittimus; memores illius ex doctrina Morali recepti axiomatis: *In quæstionibus de personis, illam sententiam semper prævalere, quæ in benigniorem partem pendet.* A peccato enim vacat, & cum nullius etiam injuria conjuncta. *Consul. Dn. Becman. Diss. de non abut. nom. Princip. seu suspecta doctrin. de Tyrannide, tot. in vol.* 1. *Diss.* 7. Conferantur & Politici alii, passim hanc materiam loco de Monarchia tanquam parallelam, tractantes; cum tamen dici posset

ſet oppoſitè ad Monarchiam ex dictis rationibus, & aliis, quæ dari poſſent, ſi hoc ageremus, quasque dedit *all. Dn. Becman. all. diſſ.* Tyrannos non dari. Benè verò oppoſitè ad Ariſtocratiam & Democratiam, quia harum Adminiſtratores, ſi everſores & turbatores Reip. ſibi concreditæ formæ exiſtant, illam ad ſe trahere & ſibi ſubjicere conantes, convinci hujus criminis facilius poſſint. *conf. Tholoſan. de Rep. l. 6. c. 19. Bodin. lib. 2. de Republ. cap. 4. Lipſ. lib. 6. polit. c. 5. Schonborn. l. 2. polit. cap. 37. & latè Rumelin. part. 3. Diſſ. 2. §. 22. & ſeqq. & ibid. Myler. in addit. Keckerman. all. loc. Althuſ. polit. cap. 38. tot.*

§. 13. Ne Tibi, quisquis eris Lector Candide, perſuaſum habeas, ex enarratis his & alibi rationibus & characteribus, Principes quidlibet audendi habere poteſtatem; & ab omni culpa & pœna eſſe immunes; verba egegria & planè Regia, quibus pœnas Principibus ab officio recedentibus, à Deo imponen-

 ponen-

ponendas exprimit sæpe laud. & all. Angliæ Rex Jacobus, *lib. de jur. Liber. Monarch. fol. m.* 110. *Neque hæc*, (inquit) *pro Regibus ideò disserui, quod omnia scelera, omnia flagitia, iis velim esse impunita: quasi eorum gratia factus esset orbis terrarum, eorumque libidini permissus, ut omnia pro arbitrio agant ferantque, sed contra, dum Deo, cui soli ut judici ordinario subsunt, eos in supplicium dedo, asperrima (ni fallor) omnium & plagosissimæ ferulæ ejus subjicio. Nam quantò cæteros mortales loco, honore & potestate supereminent Reges, tanto majore obsequio creatori suo devincti sunt, tantoque majoribus pœnis, si sui olim immemores evaserint, exercebuntur. Nimirum ad dignitatis mensuram crescit eorum adversus Deum ingratitudo, & quoniam in editiori loco positi sunt, graviore afflictabuntur casu. Quò enim aliquis Deo beneficiis devinctior est, eò ejus offensa jure enormior videtur. Sæpius & damnosius summas quercus feriunt Jovis fulmina,*

mina, quàm lentas salices: & ex altissima sede proclivior est lapsus. Nunquam auditum est aut pietati aut officio defuisse Regem, quin ejus ingratitudini parem Deus aptaverit pœnam.

§. 14. Subditorum recessus ab officio & obediendi gloria degenerant vel in *Factiones* vel *Seditiones*. *Factiones* sunt congressiones civium seu subditorum inter se, propter lites & diffidia, quæ cum aliis habent. *Seditiones* sunt motus & oppositiones subditorum adversus Magistratus, seu bella civilia. Et hinc seditio differt à *bello*, eò quod oriatur inter concives & familiares; bellum verò cum aliis populis & inter extraneos. *vid. Gregor. Tholosan. lib. 23. tit. 1. & 2. add. Dn. de Pufendorff. Elem. Jurispr. Univers. lib. 1. definit. 3. §. 6.*

§. 14. Sufficiant hæc generaliter de Formis & Speciebus Rerumpublicarum. Ad specialem Politicam pertinet singularum Rerumpubl. & Regnorum accurata cognitio, & sine hac difficillima

dictorum ad singularem Statum erit applicatio. Catalogum omnium Regnorum & Rerumpublicarum exhibet Hornius ad Burgersd. *cap. ult. th. 29. in annot. add. Dn. Becmani histor. orb. terrar. Geographicam & Civilem. part. 2.*

CAPUT XXVI.

De Mutationibus Rerumpublicarum.

§. I.

Est illa maximorum Imperiorum & Rerumpublicarum fatalitas, ut non possint eodem loco consistere; Principes grande Regiminis onus, diu recta cervice sustinere vix possunt. Lassantur & se inflectunt, nec decurrunt ad metam æquabiliter. Quemadmodum singulis hominibus sua *infantia, adolescentia, robur, senectus, & mors*: sic & Rebuspublicis. Incipiunt, crescunt, stant, florent, senescunt, atque ut omnia, tandem cadunt. *Cic. de fin. l.* 5. Sequentibus

tibus hoc exprimit Dn. Textor *Syn. Jur. Gent. cap. 30. pr. Ut curricula vitæ hominibus per ætates distinguuntur, sic imperiis sua sunt temporum intervalla, quibus ab exiguis rebus sumpto initio, velut adolescunt, inde ad potentiam majorem crescunt, postea rursus decrescunt, & intermoriuntur.* Imò in ipso ortu singulis rebus lex ista data, ad nihilum, unde prodierant, recidere. Generantur Regna nova, ex corruptione aliorum; Generatio enim unius est corruptio alterius; & corruptio unius generatio alterius. Huc trahi debent elegant. Ovidii versus *lib. 15. Metamorph.*

Sic omnia verti
Cernimus, atque alias assumere robora gentes,
Concidere has: Sic magna fuit censuque virisque,
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas

Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
Clara fuit Sparte, magnæ viguere Mycenæ:
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces:
Vile solum Sparte est: altæ cecidere Mycenæ.
Oedipodioniæ quid sunt, nisi nomina, Thebæ?
Quid Pandioniæ restant, nisi nomen, Athenæ.

Diruit enim construitque, & (si fas est dicere) ludit in rebus humanis *magnus ille Architectus*, & velut plastes, varias sibi formas & imagines fingit & refingit ex hac argilla. Nec tantum oppida & urbes, sed Regna etiam & Provinciæ trahuntur in hanc labem, ait Myler. ab Ehrenb. *de pr. & St. Imp. p.* 1. *c.* 2. §. 2. *ex Lips. de Const. lib.* 1. *c.* 16. exempli loco producens Imperium Romanum. *Conf. Schonborn. lib.* 5. *pol. c.* 4.

§. 2. Quis negare audet, providentiam

tiam Divinam in Regnorum ac Imperiorum constitutione, ac eversione mirabiliter operari. Inspiciantur sacra monumenta, *Job. c.* 9.34. *vs.* 24. *Psalm.* 2. & 109. *Dan. c.* 2.4. & 5. ubi legimus Nabuchodonesarem id ipsum inter bestias didicisse, & Balthasarum ex scribente illa à Deo missa manu. Testantur hoc translatio Regni à Familia Saulis ad Davidem, & distractio Imperii sub Roboamo filio Salomonis & Jeroboamo. Civitas enim non hominis tantum decretis stat, sed majoris alicujus potentiæ vi, quam *naturam*, alii Saniores *Deum* vocant. Qui enim singulorum hominum dies certis terminis circumscripsit, idem & Regnorum; Ab illa ergo Luna dependet fluxus omnis & refluxus rerum humanarum; Ortus regnorum & occasus ab illo Sole, *Lips. de Constant. c.* 14.

§. 3. Exemplis hujusmodi sæculum nostrum abundat; maximis rerum mutationibus obnoxium, ut vel hoc no-

mine *Compendium omnium sæculorum* dici possit. Eversa florentia Regna; evecti, ejecti, restituti Principes, Reges; & una cum iis agitatus fluctuavit rerum Status. Exempla, prout illa congessit Dn. Becman. *erud. diss. de Jur. Subd. circa Sacra, proleg.* breviter proponam: Quis credidisset restitutionem Angliæ Regis Caroli II. cum armis illam frustra intenderet? at sine armis & profusione sanguinis, præter opinionem quasi, obtinuit: Quis Protestantes in Germania tam generosam pacem impetraturos, cum vires eorum in initio belli tricennalis adeò attritæ, dixerit? Quis domum Austriacam duraturam dixisset, cum hostibus undique cincta? Quis salutem Daniæ & Poloniæ, cum armis ferè subacta Regna, sperasset? Quis totum Regnum Portugalliæ sine armis occupari posse autumasset? Ad præsentem rerum memoriam ut veniam: quis sibi imaginatus esset, Turcam infensissimum & juratum Christianorum

norum

norum hoſtem, tota Europa tam formidabilem, tam brevi tempore ad tantas anguſtias & neceſſitates potuiſſe adigi? Et denique, ut ad recentiſſimam & omninò præſentem memoriam, & quæ nobis exhibuit & attulit exempla annus 1688. quem jam ante duo ſæcula ſcriptores & ſcrutatores rerum Cœleſtium fatalem prænunciavere, uti etiam revera admirandus fuit, veniam: Nonne expugnata, ſine ſanguine quaſi, validiſſima fortalitia, & in quæ ſpem & fiduciam omnem Chriſtianorum hoſtis poſuerat? Anglis verò imprimis quam fauſtus, auſpicatus, ter & amplius felix annus hic 1688. fuit? Dum præcedenti ſæculo *anno.* 1588. *Claſſem invincibilem*, contra Reginam Angliæ Eliſabetham emiſſam, Deo duce, tempeſtatibus conſpirantibus, innoxiam pro Statu & Religione Regni, perire & diſſipari viderunt. *Dn. Puffendorf.* **Einleitung zu der Histor.** *cap.* 2. §. 11. *&* 4. §. 22. Et eodem anno 1688. noſtri ſæculi, die

etiam *quinta Novembris*, quæ ante octoginta tres annos 1605. fatalis fuerat, in detecta illa famosa conspiratione, pulveris tormentarii, qua Domum Parlamentariam simul cum Proceribus, Rege ac Prole Regia, subjecto pulvere pyrio incendere & disjicere, moliti; quam accuratè descriptam *Satyr.* suo adjecit Joan. Barclajus, sub tit. *Series patefact. divin. parricid.* stupendo exemplo, providentia divina ita volente & dirigente, Status sui Conservatorem & Religionis avitæ Defensorem, WILHELMUM III. exceperunt.

§. 4. Ut brevis sim, sunt Mutationes hæ scalæ ascensus & descensus actionum humanarum, & non in Rebuspublicis tantum, sed & familiis & privatorum personis se exserunt, ex naturali inconstantia rerum humanarum provenientes. Et hinc est, quod posteri rarò iisdem virtutibus conservent imperia, quibus acquisita fuere. Et quod in quibusdam Rebuspublicis periodi hæ

fatales

fatales tardiores, in aliis celeriores ſe exſerant, à ſtabilitate hominum venit. Qui ſequenti in curſu rerum humanarum incedunt ordine, ut à labore & induſtria ad fortitudinem, hinc ad florem & potentiam, & ex hoc felicitatis faſtigio ad ſuperbiam, & luxuriam, fraudes, dolos, ſeditiones, factiones, ſicque ad mutationem & interitum tendant, & decurrant. Aptè Althuſ. *Polit. c.9.n.*10. Sicuti ferrum rubiginem ſua natura etiam generat, à qua paulatim abſumitur, & ſicuti maturi fructus vermes generant, à quibus conſumuntur: ſic & potentia & ampla imperia & populoſa, vitia multa procreant, à quibus paulatim atteruntur. Experientia teſtatur, potentiam parere confidentiam, confidentiam verò ſocordiam, & hanc contemptum, hunc autem autoritatis diminutionem, & hanc imperii privationem. Et quando creſcit potentia Reip. minuitur fortitudo & virtus. Plerumque etiam prius, Stellarum inſtar

ſtar ad occaſum ſuum vergentium, Reſp. quoque mutationibus & nonnunquam interitu proximiores, majorem lucem & effloreſcentiam, mox tamen obnubilandam, oſtendere ſolent. Imò juxta illud vulgatum: In altum & ſummum felicitatis gradum tolluntur; & ex hoc, ut, providentia illa divina occulta & reſervata, mortalibus eò magis manifeſtetur, & quicquid ſint, à Deo eſſe, experiantur, lapſu graviori ruunt, & deturbantur. Cauſas alias harum mutationum politicas, item remedia his mutationibus opponenda, tradunt paſſim Politici, *Vid. Bodinus de Republ. Tholoſanus de Republ. lib.* 21. *c.* 1. 2. 3. *Keckerman. curſ. phil. diſp.* 35. *embl.* 1. 2. 3. Qui & multa exempla ex antiquis & veterum hiſtoriarum monumentis congeſſere. An prodigia ſemper magnis hujusmodi mutationibus præmittantur, & an ex præſentibus prodigiis v. g. cometis &c. calamitates futuras colligere liceat, examinat Dn. Becman. *Doctr. Moral.*

Moral. cap. 8. *§.* 6. Ex quo saltem elegans responsum illud Ludovici Pii, alii Caroli M. cum Egmondus Astrologus ei conspectum magni Cometæ allegato dicto *Jerem.* 10. *vs.* 2. *nolite timere à signis* &c. tanquam parvi quid persuaderet: *Timeamus conditorem hujus Cometæ, non cometam, & laudemus clementiam ejus, qui nostram inertiam, cum peccatores simus, talibus admonere dignatur judiciis*, allegamus. *Væt. vol. 2. disp. de signis. p. 2. probl. 9. add. Dn. Tesmar. Diss. Astrolog. Roman. ex Cometis vaticinans. & Astrolog. Christ. Comet. insol. figura stupens, horrens, & non subsannans. vol.* 1. *disp.* 9. & 10. §. 21. *& seq.* quibus semper Cometas aliquid intendere, etiam mala & iram divinam significare, rationibus & exemplis probat. Nec insolita hæc spectacula & extraordinaria Dei opera, quamvis in iis Deus cum causis naturalibus concurrat, ideo contemnenda esse, ad oculum, contra dissentientes demonstrat.

Addi-

Addimus Senecæ verba: *Nemo usque adeò tardus & hebes & demissus in terram est, ut ad divina non erigatur, ac tota mente consurgat, imprimis ubi novum aliquod è cœlo miraculum fulsit. Nam quamdiu decurrunt solita, magnitudinem rerum consuetudo subducit, ita enim compositi sumus, ut nos quotidiana, etiamsi admiratione digna sint, transeant: contra minimarum quarumque rerum, si insolitæ prodierint, spectaculum dulce fiat.* Et deinceps: *Sol spectatorem, nisi cum deficit non habet: nemo observat Lunam, nisi laborantem.* Add. *Keckerman. hist. physica, lib. 6. cap. 5.* Finio elegantissimis Senecæ versibus:

Vos, quibus Rector maris atque terræ,
Jus dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus.
Quicquid à vobis minor extimescit,
Major hoc vobis Dominus minatur
Omne sub regno graviore regnum est.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

Nemo

Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsus,
Miscet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare Fortunam, rotat omne fatum.
Nemo tam divos habuit faventes.
Crastinum ut posset sibi polliceri.
Res DEUS nostras celeri citatas
Turbine versat.

DEO T. OP. MAX. Rerumpublicarum Fundatori, Conservatori, Instauratori Sapientissimo, in Cujus manu sunt corda Regum, quique Principes in Terris Vicarios constituit, & per quem omnes Magistratus gubernant, sit Laus, Honor & Gloria in Æternum!

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

A.

Asyla.

B.

Caduci

C.

I. N.

D.

Jus

Quate-

S 2 nistris

M.

N.

O.

P.

Pax.

R.

 245.

FINIS.